QUAESTIONES CRITICAE

DE

Belli Punici Secundi

parte priori,

AUCTORE

J. A. WIJNNE.



QUAESTIONES CRITICAE.

QUAESTIONES CRITICAE

DE

BELLI PUNICI SECUNDI PARTE PRIORI,

QUAS,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE

RECTORIS MAGNIFICI

GUILIELMI MUURLING,

THEOL. DOCT. ET IN FACULT. THEOL. PROFESS. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA GRONINGANA

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO OMNIUM EXAMINI OFFERT

JOHANNES ADAMUS WIJNNE,

ex pago Hoogeveen-Drenthinus.

D. III m. Iunii, A. MDCCCXLVIII, Horâ XII.

GRONINGAE,

Apud J. B. WOLTERS, Bibliopolam.


KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

VIRO DOCTISSIMO

HENRICO JANO NASSAU,

Phil. Theor. Magistro, Lit. Hum. Doctori,

Ordini Leonis Nederlandici adscripto,

Gymnasii Assenensis Rectori,

D. D. D.

SCRIPTOR.

Duo sunt anni, quum eam legere coepi Polybiani Livianique operis partem, qua agitur de bello Punico secundo. In hac autem lectione, quae eo pertinebat, ut inde etiam mei in literis antiquis progressus publice explorarentur, multum operae ponens, non potui non animadvertere, plurima ab his scriptoribus neque eadem plane et interdum prorsus diversa ratione tradi. Et horum quidem quaenam vera verive simillima essent diligentius investigandi exque aliis etiam testimoniis colligendi cupidus, mox visus mihi sum grave reperisse, quod ad summos in literis honores consequendos expli-

carem, argumentum. Qua in re assentientes habui viros Clar. van Limburg Brouwer, patriae, eheu, acerbo fato ereptum, et Rovers, qui praeterea mihi monstravit legendasque commendavit Quaestiones de Bello Punico Primo, *scriptas a viro Doct. Michaëlis annoque* 1846 *editas in Actis* Societatis Artium et Literarum Rheno-Traiectinae. *Sic nactus scribendi argumentum minime tritum, libens manus operi admovi, veteribusque scriptoribus sedulo inter se conferendis atque fontibus eorum indagandis et recentiorum placitis attendendis eam mihi paravi annotationis copiam, unde hic prodiit libellus. Non continet illud, quod ut contineret, initio speraveram. Non enim res totius belli explorantur, sed parti tantum priori critica adhibetur, inque ea quae ex meo consilio animadvertenda videbantur, haec historiae tanquam filo inter se iuncta et nexa sunt. In Cannensi pugna subsistere me coegerunt cum rerum ubertas tum mutatae his mensibus vitae meae rationes, quarum quidem auctores gratus praedico Gymnasii Groningani Curatores, qui, ut ego praeceptoris in hoc Gymnasio munere ornarer, honorifica fecerunt commendatione. Neque tamen hanc, temporis brevitate conclusam, historiae partem parvo mihi constitisse inquirendi labore exiguasve peperisse difficultates illi intelligent, quos traditorum a veteribus nec ratio latet nec multiplex recentiori aetate excogitata interpretatio. Cuius rei ne exemplum requiratur, unus Alpium transitus quot viros doctos, quot rei militaris peritos, quot*

geographos torsit! Equidem non vereor, ne iuvenili opusculo desit lectorum indulgentia; verumtamen quo leniores mihi obtingant iudices, eo magis optandum est, ut hi inter legendum in Quaesti num de Bello Punico Primo *memoriam minime redeant.*

Atque hoc te in primis rogatum volo, Vir Doctissime, Henrice Jane Nassau, quem quanti faciam, quamque grata colam tuorum beneficiorum recordatione, sciunt, qui me norunt, omnes. Tu mihi adolescenti, nullaque magnopere te delectanti vel veterum literarum peritia vel docendi facultate, ita per octo deinceps annos studiorum dux et auctor exstitisti, ut, quum discipulo tuo postea iusto brevius Academica institutione frui contingeret, non tantum inde impedimentum oriretur, quantum a summis in Literis honoribus petendis arceret. Quod si quis sic tibi acceptum referri existimet, ut tamen haud sine aliqua mei ipsius laude dictum esse suspicetur, sciat velim, locum huic laudi relinqui perexiguum, multoque magis animo obversari eorum, quos in Academia Groningana praeceptores habui, et erga me benevolentiam et studium quorumvis impedimentorum prudenter minuendorum. Sed has nasutorum suspiciones tu parum curas, optime Nassau, cuius uti gratissima ea mihi accidit benevolentia, qua a nominis tui auctoritate huic opusculo commendationem quaerere liceret, ita praecepta consiliaque sapientissima et vero exemplum, ad incitandos adolescentes unum in paucis efficax, nunquam animo meo excident. Ego etiam ea te semper et observantia et

carem, argumentum. Qua in re assentientes habui viros Clar. van Limburg Brouwer, patriae, eheu, acerbo fato ereptum, et Rovers, qui praeterea mihi monstravit legendasque commendavit Quaestiones de Bello Punico Primo, *scriptas a viro Doct. Michaëlis annoque* 1846 *editas in Actis* Societatis Artium et Literarum Rheno-Traiectinae. *Sic nactus scribendi argumentum minime tritum, libens manus operi admovi, veteribusque scriptoribus sedulo inter se conferendis atque fontibus eorum indagandis et recentiorum placitis attendendis eam mihi paravi annotationis copiam, unde hic prodiit libellus. Non continet illud, quod ut contineret, initio speraveram. Non enim res totius belli explorantur, sed parti tantum priori critica adhibetur, inque ea quae ex meo consilio animadvertenda videbantur, haec historiae tanquam filo inter se iuncta et nexa sunt. In Cannensi pugna subsistere me coegerunt cum rerum ubertas tum mutatae his mensibus vitae meae rationes, quarum quidem auctores gratus praedico Gymnasii Groningani Curatores, qui, ut ego praeceptoris in hoc Gymnasio munere ornarer, honorifica fecerunt commendatione. Neque tamen hanc, temporis brevitate conclusam, historiae partem parvo mihi constitisse inquirendi labore exiguasve peperisse difficultates illi intelligent, quos traditorum a veteribus nec ratio latet nec multiplex recentiori aetate excogitata interpretatio. Cuius rei ne exemplum requiratur, unus Alpium transitus quot viros doctos, quot rei militaris peritos, quot*

geographos torsit! Equidem non vereor, ne iuvenili opusculo desit lectorum indulgentia; verumtamen quo leniores mihi obtingant iudices, eo magis optandum est, ut hi inter legendum in Quaestionum de Bello Punico Primo *memoriam minime redeant.*

Atque hoc te in primis rogatum volo, Vir Doctissime, Henrice Jane Nassau, quem quanti faciam, quamque grata colam tuorum beneficiorum recordatione, sciunt, qui me norunt, omnes. Tu mihi adolescenti, nullaque magnopere te delectanti vel veterum literarum peritia vel docendi facultate, ita per octo deinceps annos studiorum dux et auctor exstitisti, ut, quum discipulo tuo postea iusto brevius Academica institutione frui contingeret, non tantum inde impedimentum oriretur, quantum a summis in Literis honoribus petendis arceret. Quod si quis sic tibi acceptum referri existimet, ut tamen haud sine aliqua mei ipsius laude dictum esse suspicetur, sciat velim, locum huic laudi relinqui perexiguum, multoque magis animo obversari eorum, quos in Academia Groningana praeceptores habui, et erga me benevolentiam et studium quorumvis impedimentorum prudenter minuendorum. Sed has nasutorum suspiciones tu parum curas, optime Nassau, cuius uti gratissima ea mihi accidit benevolentia, qua a nominis tui auctoritate huic opusculo commendationem quaerere liceret, ita praecepta consiliaque sapientissima et vero exemplum, ad incitandos adolescentes unum in paucis efficax, nunquam animo meo excident. Ego etiam ea te semper et observantia et

pietate prosequar, ut in discipulis, qui magis te colat, habeas neminem. Tibi autem et praeceptoribus meis Groninganis ea diutissime largiatur Deus O. M., unde in disciplinarum studia et institutionem iuventutis plurimum redundet boni.



CAPUT I.

DE CAUSIS BELLI PUNICI SECUNDI.



Pluribus Polybius in veras belli Punici secundi causas inquirit, statuitque eas censendas esse: *et* iram Hamilcaris, qui Barca est cognominatus, *et* vero Sardiniae amissionem tributumque impositum, *et* prosperos Carthaginiensium in Hispania successus; principium autem habet Sagunti oppugnationem (1).

Sed priusquam suam tradit sententiam, Fabii, scriptoris Romani, hac de re opinionem acerrime perstringit. Hic autem, Polybio teste, causam belli fuisse scribit praeter iniuriam, Saguntinis illatam, Hasdrubalis *πλεονεξίαν καὶ φιλαρχίαν*.

De Sagunti oppugnatione, in *causas* belli relata, quum ea tantum dicenda sit *principium*, res expedita est cogitantibus Polybii effatum, multos rerum scriptores discrimen inter *principium*, *causam*, *praetextum* non satis diligenter perpendisse. In ea quoque, quae dictis subiicitur, Fabii disputatione sunt, quae displiceant, quamquam Polybii *κρίσιν* iusto severiorem esse merito anim-

(1) III, 9, 10, sqq.

advertit Heerenus (1). Verumtamen ipsam illam Hasdrubalis dominandi cupiditatem pariter atque eius in Romanos odium eo magis memorare iuvat, quo minoris saepe huius ducis in re gravissima praeparanda partes fieri videntur. De dominandi cupiditate testis est Fabius, Hasdrubalem in Hispania pollentem et potentem, quum Carthagine frustra res novas moliri conatus esset, administrare ibi cuncta pro arbitrio coepisse. In hac regione ille Punici imperii fines protulit (2), et consilio plura quam vi gerens, magnam per octo deinceps annos progressionem fecit ad suum familiaeque suae propositum exsequendum. Bellum cum Romanis renovare eoque tendere Hispaniae occupatione, hoc erat in votis. Post mortem Hamilcaris soceri, qui eum sibi omni modo devinxerat imbueratque consiliorum suorum amore, factionis Barcinae princeps, et Hannibalem diligentissime instituit ad imperatoris munus, et, quod hereditarium Barcinis esset in Romanos odium, ut quamprimum fructus ferret, diligentem operam dedit. Quid, quod dicuntur iam illo tempore semel arma suscepta esse adversus Romanos (3)? Quamobrem ita Polybio de causis belli Punici secundi assentimur, ut suas tamen Hasdrubali partes *diserte* tribuendas esse censeamus. Prosperos quidem ille memorat Carthaginiensium in Hispania successus; sed hos arctissime cum Hamilcaris memoria coniungi dicas. Eidem porro Hamilcari vim tribuit summam utpote filiolum cohortato

(1) *Historische Werke* XIII, 281.

(2) Pol. II, 13.

(3) Zonar. VIII, 19.

ad odium in Romanos iurandum. Sed pueri novem annorum iusiurandum quo valuisset? quam tenues radices illud odium egisset, nisi tum ipse pater id postea aluisset, tum vero Hasdrubal non tantum sermonibus, sed multo magis iuvene in rerum agendarum communionem vocando, illud ad propositum constantissime sequendum et direxisset prudenter, et fortiter roborasset! — His in medium prolatis, pergimus ad belli initia.

CAPUT II.

DE INITIIS BELLI PUNICI SECUNDI.

A. U. C. 533. A. C. N. 219 (1).

Post Hasdrubalis caedem, cuius de loco et tempore haud convenit inter scriptores (2), exercitus summam imperii ad Hannibalem detulit, quo nuntio accepto, Carthaginienses statim militum suffragia rata fecerunt. Mox Hannibal, non invitis popularibus, ad bellum cum Romanis se accinxit.

Huic sententiae quae opponi possint pauca, mox tollemus. Prius videndum de alia quaestione, quae maiores praebet difficultates. Etenim Hannibal, novem annos natus, pueriliter patri blandiens, ut in Hispaniam cum ipso proficisceretur, exercitum illuc traiecturo, celebre illud

---

(1) De anno belli exorti ne agam, Sigonii facit disputatio ad Liv. XXI, 6; unde patet, errasse eos, qui, reiecto Polybii testimonio, alium captae Sagunti annum mallent quam 219, M. Livio Salinatore et L. Aemilio Paulo Coss.

(2) Pol. II, 36. Liv. XXI, 2. Appian. VI, 8. VII, 2.

patri postulanti dedit iusiurandum (1). Hoc a multis traditur. Num vero puer revera patrem comitatus sit, dubitari posse dicas: unus enim id *obiter* memorat Polybius (2). Sed quum filius, iureiurando praestito, conditionem impleverit, nobis, aliquo etiam testimonio nitentibus, ille potius profectus esse cum patre videtur. Quod autem gravius, rediitne dein Carthaginem, an vero in Hispania mansit? Non dubitamus, quin aliquando redierit. Quo enim modo altum illud apud scriptores silentium interpretaremur de tirocinio *Hannibalis*, qui adolevisset in *Hamilcaris* castris, quique, *hoc patre duce*, semper in ipso belli theatro versatus et exercitatus ad maiora fuisset? Neque moramur verba Bibuli, tribuni plebis, sive potius Livii, sua tribuno plebis tribuentis: „fraude eorum et „cunctatione fieri, ut Hannibal decimum iam annum „Italiam provinciam habeat: diutius ibi, quam Car„thagine, vixerit (3)." Nam ut saepe in Orationibus nonnihil ornandi causa adiectum esse constat, ita in hac Marcelli, quin totius nobilitatis, accusatione tale effatum efficacius ad concitandum videri debebat, quam ut ab eo abstineretur. Quodni teneamus, Livium fateamur necesse est sibi ipsum contradicere, alio quippe loco e sua persona narrantem de Hannibale, vixdum pubere, ab Hasdrubale arcessito missoque in Hispaniam (4).

---

(1) Pol. III, 11. Nep. *Hann.* 2. Val. Max. IX, 3. Ext. 3. Appian. VI, 9. Liv. XXI, 1. XXXV, 19. Flor. II, 6. Oros. IV, 14.

(2) II, 1.

(3) XXVII, 21.

(4) XXI, 3, 4. Non recte hîc distinxit Lachmann, *de Font. Hist. T. Livii Comm. alt.* 34, apud Livium h. l. legi dicens, paucos assensisse ei rei, quam apud Pol. III,

Sententiae supra dictae de Hannibale, non invitis popularibus bellum aggresso, obstant Fabius et Dio Cassius; legatorum enim Carthaginiensium apud Livium oratio, quippe falsis praetextibus referta, nihil probat (1). Quod attinet ad Fabium, hic a Polybio satis refutatur (2). Locus Dionis, qui huc facit, sic sese habet: „καὶ ταῦτα „μέν τοι αὐτὸς καθ' ἑαυτὸν ἄνευ τοῦ κοινοῦ τῶν Καρχηδονίων „κατέπραξεν. Οὔτε γὰρ τὴν ἀρχὴν ὑπὸ τῶν οἴκοι τελῶν „ἐξεπέμφθη, οὐθ' ὕστερον μεγάλης τινὸς βοηθείας παρ' αὐτῶν „ἔτυχε (3)." Quibus postremis verbis quid intelligat scriptor, ipse explicat, dicens: Carthaginienses id magis egisse, ut eum non deseruisse viderentur, quam ut fortiter sublevare aliqua in re cuperent. Iam vero, si huic loco ceterorum omnium scriptorum, Polybii (4), Livii (5), Nepotis (6), Diodori (7), Appiani (8), Zonarae (9) diserta testimonia opposuerimus, et studium Dionis animadverterimus, multis in locis conspicuum (10), Punicos

---

13 μιᾷ γνώμῃ decreverint omnes. Nam paucorum apud Livium assensus est de Hannonis sententia, Hasdrubali, arcessenti Hannibalem, opposita; omnium consensus apud Polybium de imperatoriae dignitatis delatione.

(1) XXVII, 21.

(2) III, 8.

(3) Dio Cass. Ed. Reimari, I, *fragm. Peiresc.* 47, p. 23.

(4) Pol. III, 13.

(5) Liv. XXI, 3. Ed. Fabri.

(6) *Hann.* 3.

(7) Diod. *Eclog.* XXV, 5. Ed. Wess.

(8) VI, 8. Hic tantum de consensu senatus sermo est; at vero quum VII, 3 addatur, populum praerogativam militarem comprobasse, scriptor omnino cum ceteris consentit.

(9) VIII, 21.

(10) *Commentat. de vita et scriptis* Dionis Cassii, in Ed. Reimari II, 1533. Michaëlis, *Quaest. de Bell. Pun. primo*, 25, sqq.

duces nimis celebrandi, nihil obstat, quominus huius effatum reiiciamus.

Itaque Hannibal, viginti sex annos natus (1), et summae rerum in Hispania praepositus, mox Althiam (2), caput Olcadum, exercitum duxit, eamque cepit; inde aliae urbes se dediderunt; exercitus Carthaginem Novam in hiberna abiit. Proximo vere in Vaccaeos bello moto, Elmanticam (3) ille et Arbocalam occupavit; ex Vaccaeis regressum adorti sunt Carpetani cum Olcadibus, patria extorribus, et profugis ab Elmantica iuncti; quibus singulari Hannibalis prudentia plane victis, iamiam omnia intra Iberum Carthagini parebant, solis Saguntinis exceptis. Haec enim omnia non cum uno Appiano, cuius etiam hîc in geographia mirus est error (4), Hasdrubali tribuenda esse ceterorum scriptorum dissensio docet. Saguntini, quibus solis huc usque pepercerat Hannibal, crebras legationes Romam miserunt, ubi mox, licet antea saepe neglectis eorum nuntiis, decretum est, legatos in Hispaniam ablegare, qui res inspicerent. Eos invenit Hannibal Carthagine Nova; quum vero, sicuti iussi erant, eum monerent, ut, foederis fidem servans, quod cum Hasdrubale ictum erat, ne Iberum belli causa traiiceret, nec Saguntinos, qui in fide et clientela populi Romani essent, aggrederetur; iuvenili audacia incita-

---

(1) Glarean. ad Liv. XXI, 4.

(2) De hac lectione, uti etiam de Livii *Carteia* vid. omnino Alschefski ad Liv. XXI, 5.

(3) Liv. *Hermandica*, hodie *Salamanca*. Cf. Alschefski ibid.

(4) VI, 6. Cf. Schweigh. ad Appian. VI, 7.

tus, iis respondit: Carthaginienses non oblitos esse, nec oblituros, Romanos in seditione paulo ante exorta inique nonnullos Saguntinorum principes morte affecisse. Carthaginem vero nuntium misit rogatum: quid faceret, quum Saguntini, Romanis freti, ipsorum ditionis populos lacesserent. Itaque pro vera causa, Sardinia scilicet adempta tributoque imposito, praetextus inanes arripuit, eorumque ope se defendere studuit (1). Legati Romani, re infecta, Carthaginem abierunt ea mente, ut ibi similia proferrent. Hannibal autem cum omnibus copiis Saguntum versus properavit, eiusque oppugnationem acriter ursit, intraque octo (2) menses urbem expugnavit. Romani, nuntio huius calamitatis urbis sociae et fidelis accepto, legatione decreta, duas obtulerunt conditiones: aut Hannibalis eiusque consiliariorum deditionem, aut bellum. Carthaginiensium senatus, hac lege audita, de iure suo multa verba fecit; verum unus e legatis, postquam dixit, se bellum et pacem afferre, iis optionem permisit, quibus nolentibus alterutrum eligere, ipse bellum indixit. — Haec Polybius (3). Quodsi, eius fide missa, unice nobiscum reputemus, quid verisimile videatur, quid non, fatendum omnino, hanc narrationem magnam veri speciem prae se ferre. Verum age, cetera quoque veterum monumenta inspiciamus, eorumque collatione tum vera invenire conemur, tum nonnulla e Polybio hausta illustremus.

---

(1) Cf. hac de re Niebuhrii animadversio, in *Vorträge über römische Geschichte, an der Universität zu Bonn gehalten von* B. G. Niebuhr, *herausgegeben von* M. Isler II, 70.

(2) Secundum Flor. II, 6 novem; secundum Aur. Vict. *de Vir. Illust.* c. 42 sex.

(3) III, 15—33.

Prima dissensio, quam animadvertimus, est apud Livium, qui de una tantum Saguntinorum legatione loquitur, quae Scipione et Sempronio Coss. Romam venerit (1), quamque mox nuntius exceperit, Saguntum iam oppugnari. Verum nobis ob oculos ponamus conditionem urbis, periculum imminere, quin in dies magis instare et urgere animadvertentis, planeque auxilio finitimo destitutae: semelne legatos mittere ei suffecisset? Parum probabile; animus, anxietate agitatus, huc illuc ruit, atque iteratis precibus eum invocat, qui salutem afferre possit vel posse existimetur. Facile est causam indicare morae in legatione mittenda, quae Livii verbis e Capite laudato continetur: „legatione „decreta, necdum missa." Romanos enim illo tempore opum inopia nonnihil laborasse auctore Polybio (2) novimus. Nimirum senatus res Illyrici firmare statuerat, sperans, se, priusquam in Occidente erumperet bellum, res suas in regionibus, ad ortum Italiae sitis, in tuto collocare posse, Demetriique temeritatem poena afficere iusta. Sed Livius ita, ut vidimus, rem actam esse narrando, nos Romanorum sive segnitiem, sive virium inopiam celare voluisse videtur. Totum enim hoc principium libri XXI fere e Fabio hausisse videtur: hinc eius consensus cum Appiano, qui, teste Niebuhrio (3), sua maxime ex eodem fonte duxit. Etenim hic quoque scribit (4), Romanorum legatos Han-

---

(1) Liv. XXI, 6.

(2) III, 16.

(3) Ed. Isleri I, 60: „Er (Appian) folgt im zweiten „Punischen Kriege, vielleicht auch im ersten Fabius, denn „Polybius."

(4) VI, 11.

nibalem, iam in obsidione occupatum, adiisse (1); eum illos a se arcuisse; eos statim post Carthaginem profectos esse, ibique senatum de foederis conditionibus monuisse. Inde vero discrimen inter ipsum et Livium cernimus: nam quae hic de senatu Romano tradit, deliberante, utrum bellaret necne, *ante* legatos ad Hannibalem missos, ille item memorat, sed *post* eorum reditum in patriam acta tradit. Ceterum in duabus rebus, de ope Sagunto afferenda, aut differenda, convenit deliberatio apud ambos (2). Appianus vero miram addit nonnullorum sententiam, qui auxilii lationem differendam esse censentes, dicerent: „Ζακανθαίους οὐ συμμάχους αὐτοὺς ἐν ταῖς συνθή„καις σφῶν, ἀλλ' ἀυτονόμους καὶ ἐλευθέρους ἀναγεγράφθαι· „ἐλευθέρους δ'ἔτι καὶ τοὺς πολιορκουμένους εἶναι."

Alterum scriptorum discrimen spectat foedus, ab Hasdrubale cum Romanis initum. Quaeritur enim: sintne Saguntini in eo nominati, necne? Mentio tabularum aenearum (3), quas Polybius inspexit, quibusque hoc quoque foedus, cum Hasdrubale ictum, inscriptum fuisse puto, nos dubitare vetat, quum inde appareat, scriptorem in his mentionem de Saguntinis haud reperisse. Nec unquam ille aliter de ea re dicit (4). Contra, veluti metuens, ne falsa de foedere narrentur, sicuti accidit, diserte addit: „ἐν αἷς (συνθή„καις) τὴν μὲν ἄλλην 'Ιβηρίαν παρεσιώπων (5)." Quamobrem reiicienda videntur testimonia Livii et Appiani, narrantium, cautionem foederi adiectam fuisse, sic sese

(1) Ita etiam Zonar. VIII, 21.
(2) Liv. XXI, 6. Appian. VI, 11.
(3) III, 27.
(4) III, 29, 30; 15.
(5) II, 13.

habentem: „Saguntinis, mediis inter imperia duorum „populorum, libertas et immunitas servabitur (1).” Quod reliquum est, consentiens est omnium veterum sententia, Saguntum iam ante Hannibalis tempora in fidem et clientelam populi Romani receptam esse: Pol. III, 30; 15. Liv. XXI, 7. XXVIII, 39: „bellum propter nos suscepistis”. XXIV, 42. XXXI, 7. Zonar. VIII, 21: „κἀκεῖνοι καὶ ἐτίμων αὐτοὺς” (scil. Romanos). Appian. VI, 10. VII, 2. VIII, 6. Diod. Sic. *Eclog.* XXV, 5. Flor. II, 6: „fideique erga Romanos magnum quidem, sed triste monumentum.” Val. Max. VI, 6. Ext. 1. Nep. *Hann.* 3. Aur. Vict. *de Vir. Illust.* c. 42. Eutrop. III, 7. Oros. IV, 14: „civitas Romanis amica.”

Tertium, quod diverso modo a Polybio et Livio narratur, est Hannibalis agendi ratio in excipiendis legatis Romanis. De tempore et loco, quem hic Saguntum putat esse, male eum scribere vidimus (2). Sed id quoque parum verisimile, quod Appianus et Zonaras tradunt, Hannibalem, etsi ira in Romanos exaestuantem, legatos aut accedere vetuisse (3), aut per Hispanos quosdam, specie amicitiae, iis suasisse, ne appropinquarent, quippe, absente duce, in vitae periculo versaturis ob militum effrenatorum barbariem (4). Livii vero lo-

---

(1) Liv. XXI, 2; 18; 44. Appian. VI, 7, qui tamen VII, 2 et VIII, 6 cum Polybio consentit. Livius, c. 18: „Saguntini, ait, excipiuntur.” Eodem modo Florus, qualem sententiam non reperiri apud Zonaram perperam dicit Lachmann 34.

(2) Vid. p. 9.

(3) Appian. VI, 11.

(4) Zonar. VIII, 21.

cus(1) ex eorum utroque collectus esse videretur, nisi hunc aetate priorem illis fuisse novissemus. Nam duplicem, Hannibalis iussu, nuntium legatis allatum esse tradit, alterum, quem e Zonara, alterum, quem ex Appiano cognovimus, posteriorem fortasse ideo, quod Romanorum partibus faveret, nimirum iure gentium violato, si legati non admitterentur, quemadmodum XXI, 10 Hanno in Oratione sua civibus suis demonstrat. Quid igitur sicut de hisce, ita de Eutropii, cuius fidem valde suspectam habet Niebuhrius (2), verbis: „is (Hannibal) legatos admittere noluit (3)," statuendum sit, quisque intelligit.

Pervenimus ad quartam discrepantiam inter Polybium et Livium. Etenim Polybius, ut supra animadvertimus, retulit, Hannibalem nuntium ad senatum patrium ablegasse, qui falsis criminibus apud eum Saguntinos calumniaretur. Etsi deinde nil memoret de responso, duci misso, tamen credibile est, eum, Hannibalis quaestionem referentem, huius res gestas mox insecutas sequelas habuisse responsi, a senatu dati, vel certe a senatus mente haud alienas. Sed nimis obiter hoc argumentum a viro politico tractatum esse eo facilius credo, quoniam eum in hoc vitium haud semel incidisse viri docti iamdudum animadverterunt (4). Potest tamen Appiani et Livii ope nonnihil lucis af-

---

(1) XXI, 9.
(2) Ed. Isleri I, 59.
(3) III, 7.
(4) Cf. F. A. Brandstäter, *Die Geschichte des Aetolischen Landes, Volkes und Bundes*, 235: „Polybius' Erzählung ist „bald unvollständig, und zeigt Lücken, bald wieder lässt „sie sich zu einer kleinlichen Anecdoten-Krämerei herab."

ferri. Livius enim dicit: „Cum Saguntinis bellum non„dum erat: ceterum iam belli causa certamina cum „finitimis serebantur, maxime Turdetanis. Quibus quum „adesset idem, qui litis erat sator, nec certamen iu„ris, sed vim quaeri appareret, legati a Saguntinis „Romam missi (1)." Quae recte interpretatur Sigonius: Hannibalem, qui litem inter Turdetanos et Saguntinos serebat, Turdetanis affuisse contra Saguntinos. Plura docet Appianus, quo teste, Hannibal Turbuletas (2), Saguntinorum vicinos, subornavit, ut apud ipsum conquererentur, agros suos Saguntinorum incursionibus vastari, aliisque multis iniuriis sese ab iis affici. Hi ei morem gesserunt; legatos eorum Hannibal tum Carthaginem misit, ipseque clam literis Carthaginiensibus significavit, a Romanis Hispaniam, Carthaginiensibus subiectam, ad defectionem sollicitari, adiuvantibus Saguntinis. Iterum iterumque eadem domum scripsit, iterum apud eum questum venerunt Turbuletae; itaque eorum querelam audivit, arcessitis Saguntinis quibusdam, qui quum se Romanis rem permissuros esse enuntiassent, ab irato Poeno e castris exire iubebantur. Proxima inde nocte coepit obsidio (3). Iam, ni me omnia fallunt, melius intelligimus ea, quae brevitas Polybiana attigit potius quam exposuit. Eodem nimiae brevitatis studio ille ductus esse videtur in tradendis iis, quae in Poenorum senatu acta sunt: tantum enim dicit, Romanos decrevisse, ut legati Carthagine similia

---

(1) Liv. XXI, 6 coll. cum 12. XXIV, 42. XXVIII, 39.

(2) Appianus eos vocat: „Τορβολήτας." Niebuhrio placet lectio: „*Edetani.*" Cf. Edit. Isleri II, 70.

(3) Appian. VI, 10. VII, 3.

testarentur. Confugiendum igitur rursus nobis ad Livium et Appianum, quibus accedat Zonaras (1). Hi enim, etsi alius alio prolixius, omnes tamen ea tradunt, quorum summa his continetur Eutropii verbis: „Dura „responsa a Carthaginiensibus reddita."

Hannibal, qui per octo (2) menses oppugnationi sedulo et summo studio institerat, tandem urbem cepit. Ita scriptores omnes, eorumque uberrime hac de re agit Livius (3), quocum ut reliqui in praecipuis consentiunt, ita in quibusnam dissentiant nonnulli, breviter notandum superest. Et historiam quidem ipsius obsidionis praebent Livius et Zonaras (4). Exitium vero omnes fere tribuunt validis Carthaginiensium incursionibus urbisque et incolarum, in dies crescenti, infirmitati; Orosius (5) autem et Eutropius (6), praeterea fami; Appianus (7) vero, quocum Zonaras partim consentit, caedi incolarum in eruptione, desperatione auxilii Romani facta. Verum si constantiam illam Saguntinorum, tantopere omnium scriptorum consentiente voce celebratam, cuius gloria nunquam in historia peribit, cogitemus, non possumus, quin Livii descriptionem credibiliorem esse putemus (8), quam Appiani, eoque lubentius,

(1) Liv. XXI, 9, 10. Appian. VI, 11. Zonar. VIII, 21.
(2) Vide supra p. 7.
(3) XXI, 7—10; 11—16.
(4) VIII, 21.
(5) IV, 14.
(6) III, 7.
(7) VI, 12.
(8) Quae etiam est opinio Böttecheri, *Geschichte der Carth.* 243, Not.

quoniam alibi quoque, praesertim in rebus Hispanicis, v. c. de Sagunti instauratione, quam contra Livium (XXIV, 42 et XXVIII, 39) Hannibali, non Romanis, adscribit, Appianum a vero aberrasse probat Schweighaeuserus (1). Praedam tantam fuisse, quantam vult Livius, consentientibus ceteris, quos citavi, de auro argentoque omni, igni concremato, non crederem, nisi Polybius perspicue eadem testaretur. Quam fidei inopiam firmaret, praeter reliquorum silentium, Flori, in primisque Diodori disertum testimonium: „οὕτως ἀκερδῆ „πόλιν παρέλαβεν Ἀννίβας (2)."

Romae animorum motus, nuntio de Sagunto capta perlato, eleganter, more suo, describit Livius: statim deinde, pudore fortasse non lati auxilii moti (3), legatos Carthaginem miserunt, qui, postquam unum e Poenis, de iure Carthaginiensium disserentem audiverunt, ore unius ipsorum, Q. Fabii, iis electionem, utrum bellum, an pacem vellent, permiserunt; Hannibalem enim dedendum esse, si hanc cuperent. Carthaginiensibus vero ambiguum responsum reddentibus, Romani bellum indixerunt. Quae narratio de optione a Fabio data atque de ceteris, quae deinde in senatu acta sunt, aeque atque illa de Hannibalis iureiurando magis innotuit quam eiusdem viri vehemens dictum: „tunc inter Carthaginem et „Romam fore finem belli, quum alterutra urbs in ha„bitum pulveris esset redacta (4)." Solus Q. Fabius Maxi-

(1) In Not. ad VI, 12.

(2) *Eclog.* XXV, 5. De eius fide cf. Heyne, in *Comm. de* Diod. *font. et auctor.* in *Comm. Soc. Gott.* tum aliis locis, tum *Comm.* III, 118.

(3) Liv. XXI, 16. Cf. supra p. 9.

(4) Val. Max. IX, 3. Ext. 3.

mus, Zonara auctore, suaserat, ne adeo praecipitanter bellum inciperent, quae tamen sententia non placuit. Ceterum Niebuhrius, nullum tamen, quantum scimus, e veteribus secutus, hanc quoque legationem primum ad ducem, ab eo vero ad senatum Carthaginiensem missam dicit (1).

CAPUT III.

DE HANNIBALIS ITINERE EX HISPANIA AD RHODANUM, DEQUE HUJUS FLUVII TRANSITU.

A. U. C. 534. A. C. N. 218.

De iis, quae huc pertinent, prouti alii pauca tradunt, ita qui uberius exponunt, Polybius (2) et Livius (3), discrepant tantum in nonnullis. Quare nobis, propositum nostrum persequentibus, minus difficultatum hîc quam alibi occurrit.

Bello Carthaginiensibus indicto, legati Romani in Hispaniam traiecerunt, ut ibi civitates in societatem pellicerent; qui conatus adeo non cessit, ut a solis Bargusiis, habitantibus cis Iberum (4), benigne exciperentur. Eos autem se intra hanc Hispaniae partem continuisse, quae nondum Carthaginiensium ditionis erat, admodum probabile est. Hannibal interea copiis

---

(1) Cf. *Römische Geschichte von* B. G. Niebuhr, *bearbeitet von* Schmitz, *Aus dem Englischen von* G. Zeiss. II, 217. Id. Ed. Isler II, 72.

(2) III, 33—47. (3) XXI, 19—30.

(4) Liv. XXI, 23. Pol. III, 35. Lachm. 85.

Hispaniensibus visendi domos veniam dedit; postque earum reditum verno tempore ipse, Gades profectus, vota, antea nuncupata, Herculi exsolvit, novaque suscepit.

Haec apud Livium tantum legimus, qui mox etiam somnium Poeni addit, quo ei haud dubie gloriosa ipsius facta praedicebantur, quodque item a Zonara (1) narratur, et una cum alio, eidem oblato, a Cicerone (2), qui e Coelio talia a scriptore nostro sumta esse persuadet: Coelium vero ea Sileno Graeco, Hannibalis aliquamdiu in castris comiti (3), debere indicat. Tales autem narrationes risit Polybius (4), qui, etiamsi prodigia multa fuisse obiter scribat, singula commemorare aspernatur.

Deinde ita copias distribuit Hannibal, ut Hispania Africae, Africa Hispaniae suas praeberet, nuntiosque praemisit ad Gallos, qui et regionis, et incolarum indolem investigarent. Hasdrubali curam Hispaniae, Hannoni regionis cis Iberum reliquit, in qua, antequam Pyrenaeos transgrederetur, Ilergetes, Bargusios, Aerenosios et Andosinos (5) subiecit. Via, qua progressi sunt Poeni, esse videtur ea, quae ab Emporio ad Nemausum (*Nismes*) ducit, posteaque magna via Romana facta est. Accuratissimam copiarum recensionem, a Polybio, quippe e tabula Laciniensi descriptam (6),

---

(1) VIII, 22.

(2) *De Divin.* I, 24. Idem traditur a Val. Max. I, 7. Ext. 1.

(3) Nep. *Hann.* 13. Liv. XXVI, 49.

(4) III, 48.

(5) De his populis, uti etiam de transitu Pyrenaeorum cf. Lachm. 85, sqq. et Alschefski ad Liv. XXI, 23. Pro duobus postremis Livius habet *Ausetanos* et *Lacetanos*.

(6) III, 33. Cf. Liv. XXI, 21, 22.

omittimus. Postquam exercitus per saltum Pyrenaeum traduci coeptus est, certiorique rumore barbari de bello Romano acceperunt, 3000 Carpetanorum domos redierunt, quos Hannibal se iubente abiisse simulans, supra 7,000 aliorum, idem consilium ineuntium, illos ut sequerentur concessit (1). Utrum eundem reditum significaverit Zonaras verbis: „πολλοὶ (scil. milites) δὲ καὶ οἴκαδε ἀνεχώρησαν (2)," atque tempora turbaverit, an potius alium huius similem indicaverit, incertum est. Fama autem, cuius mentio subiicitur, de Hannibale ipso, meditante reditum, omnibus, quae equidem novi, veterum monumentis adversatur.

Interea Gallorum legatos expectavit Hannibal (3); Boii autem, in primis ob deductas Placentiam Cremonamque colonias irati, sollicitatis Insubribus, a Romanis defecerunt; unde factum, ut non solum magna colonorum pars, sed triumviri etiam, ad agrum assignandum missi, Mutinam fuga abirent (4). Hi autem viri a seditiosis colloquium postularunt, cuius gratia ex urbe egressi, violata fide ab hostibus capti et diu retenti sunt. Etenim verisimilius videtur, triumviros (5), quam Gallorum principes (6), id ro-

---

(1) Lucidius haec exponuntur a Livio c. 23 quam a Polybio c. 35. Vid. etiam Frontin. *Stratag.* II, 7.

(2) VIII, 23.

(3) Pol. III, 34. Cf. *Hannibals Heerzug über die Alpen*, aus dem Englischen von F. H. Müller, 41.

(4) De discrimine, quod nonnullis hic inter Polybium et Livium esse videtur, cf. Alschefski ad Liv. XXI, 25, quem omnes difficultates iusta interpretatione tollere putamus.

(5) Ut tradit Pol. III, 40.

(6) Ut tradit Liv. XXI, 25.

gasse, qui quae dicerent profecto non multa habuerint, factis satis mentem, qua erant, monstrantibus. L. Manlius iis deinde auxilium ferens, insidiis a Gallis in saltu paratis, magnam copiarum partem amisit, reliquam Tanetum, locum tutum (1), duxit, ibique a C. Atilio praetore, cum Scipionis consulis legione adveniente, plane e periculo servatus est. Apud Romanos consules erant Tiberius (2) Sempronius et P. Corn. Scipio; alteri provincia Africa, alteri Hispania decreta erat. Sempronio data 160 naves longae et 12 minores, 2 legiones et sociorum 16,000 peditum, equites 1800; Cornelio 60 quinqueremes, 2 legiones et 14,000 sociorum peditum, equites 1600. Hic, praeter oram Etruriae Ligurumque navigans, Massiliam pervenerat, et ad proximum Rhodani ostium castra locaverat, vix credens, Hannibalem Pyrenaeos montes transiisse. Sed Poenus iam ad Rhodanum pervenerat, et se continuo ad traiiciendum paravit. Ope accolarum, lembos accepit, praeterea magnam materiae copiam, e qua ipsi milites alveos informes fabricaverunt. Quum autem in eo esset, ut signum transmittendi daret, trans fluvium barbarorum multitudo hostilem animum in Poenos ostendebat. Hannibal igitur Hannonem, Bomilcaris filium, iussit adverso flumine ire, et loco, qui occurreret, idoneo cum parte exercitus transgredi, ut deinde barbaros inopinato a tergo aggrederetur. Et hi quidem, millia quinque et viginti ferme progressi, feliciter transierunt, ac, dum Hannibal a fronte aggre-

(1) Hic, Polybio auctore, Romani a Boiis oppugnabantur. Cf. Lachm. 37.

(2) De eius praenomine cf. Drakenb. ad Liv. XXI, 6.

ditur, Gallos ceciderunt, horum tentoriis ab Hannone igni datis.

Sic omnes: unum vero discrimen deprehendimus apud Zonaram, qui quod, auctoribus Polybio (1) et Livio (2), Hannoni adscripsimus, Magoni, ducis fratri, tribuit (3), cuius apud illos a proelio demum ad Trebiam mentio occurrit. Equidem Zonarae sequendi causam video nullam, nam quod quis cum auctore indicis Liviani (4) putans, Hannonem, ad Rhodanum partes agentem, eundem fuisse atque Hannonem, ab Hannibale tractui cis Iberum praefectum, miretur huius ex gravissimo praesidio abitum, nihil probat, unum eundemque ducem intelligendum esse. Contra quum Polybius et Livius non in rebus Hispaniae, sed *hîc* demum addant verba: *Bomilcaris filii*, eos admodum verisimile est hoc loco de viro loqui nondum memorato (5).

Quaeritur de loco, quo Poeni flumen transierint. Parum dissentiunt recentiores, quorum Vaudoncourt (6) credit locum hunc esse, ubi hodie *Caderouse* (7); Melville (8), uti etiam Martin de Bagnol, Fortia d'Urban, d'Anville, Letronne, alii, putant transitum ibi obtinuisse, ubi hodie *Roquemaure*, paulo su-

(1) III, 42.
(2) XXI, 27.
(3) VIII, 23.
(4) Cf. *Indic.* in Edit. Tauchn. in voce.
(5) Mihi favet Drakenb. ad Liv. XXI, 27.
(6) *Campagnes d'Annibal* I, 38.
(7) Usus sum opere laudato Mülleri.
(8) Cuius iudicium de toto Hannibalis scripto mandavit de Luc: *Histoire du passage des Alpes par Annibal.*

pra Avenionem (*Avignon*), quod quam parum differat ab altera opinione quisque videt. Eo tamen praestat Melvilli descriptio, quod in omnibus cum Polybii indiciis congruit: primum locus, quo Hannibal transgressus est, secundum hunc auctorem distat a Νήσῳ sive Insula Allobrogum 600 stadia sive 75 miliaria: nam ab Alpium radicibus idem locus distat 1400 stadia sive 175 milliaria (1), ab illis autem usque ad Isaram iter est 800 stadiorum; his itaque detractis, manent 600. *Roquemaure* autem eadem loci distantia est remota a *Port de l'Isère*. Porro situm indicat distantia a mari, quam Polybius dicit esse quatuor dierum (2). Si unius diei iter 15 milliaria esse ponimus, inde efficitur, mare distare 60 milliaria; id autem minime diversum est ab hodierno intervallo 64 milliariorum, quod est a *Roquemaure* ad ostium orientale Rhodani. Etenim, ulteriore inquisitione Melville intellexit, hodie hoc plane cum Polybio congruere, nam paulo ad orientem huius ostii esse pagum *Foz*, fere 60 milliaria a *Roquemaure* remotum; animadvertendum insuper, Polybium hîc verbo σχεδὸν uti. Hunc pagum *Foz* d'Anville finem esse putat fossae Marianae (3). Tertium argumentum est: fluvium hîc adhuc simplici alveo fluere, quem Polybius „ἁπλῆν ῥύσιν" vocat (4). Denique, si-

---

(1) III, 39. Vid. totius itineris longitudo inde a Carthagine Nova usque ad adventum in Italiam apud Pol. III, 39, ibique Schweigh.

(2) III, 42.

(3) *Not. de la Gaule*, art. *fossa Mariana et Ostium Rhodani.*

(4) l. l.

tus admodum opportunus est Hannibalis consilio mare a tergo relinquendi, et Rhodani cursum sequendi, ac si fontes eius adire velit (1). Locus, quo Hanno transmisit, paullum, ut videtur, supra *Pont St. Esprit* situs erat; ob insularum autem multitudinem in hac fluminis parte difficile est accurate ipsum locum indicare.

His traditis ad res gestas redeamus. Die insequenti cum Carthaginiensium damno consertum est proelium equestre inter 500 Numidas et 300 equites, a Scipione missos, ambos speculatum profectos, dum elephanti traiiciuntur, de quo non dissentiunt scriptores (2), nisi quod Nepos (3) et Zonaras (4), uti fit, duci tribuunt, quae milites agunt (5).

---

(1) Pol. c. 47. Haec, quae summatim attuli, uberius explicantur in Mülleri lib. laud. 44, sqq.

(2) Ordo et dispositio factorum nonnihil differunt in Polybio et Livio.

(3) *Hann.* 4.

(4) VIII, 23.

(5) Perperam iudicat de Zonarae ac Nepotis locis von Vincke, *Der Zweite Punische Krieg und der Kriegsplan der Carthager*, 247, Not. 1. Lachmann 69 Nepotem et Zonaram sequitur, nec eos universe loqui animadvertere videtur. Praeter errorem in numeris ibi obvium, alius est in his verbis: „Livius solos Gallos commemoravit."

CAPUT IV.

DE IIS, QUAE ANTE ADSCENSUM ALPIUM GESTA SUNT.

ANIMADVERSIONES DE LIV. XXI, C. 31.

A. U. C. 534. A. C. N. 218.

Pervenimus ad rem, unam in paucis difficilem, non adeo ob eorum, quae antiqui de ea tradiderunt paucitatem, quam potius propter recentiorum de hoc argumento scriptorum in diversas partes abeuntium multitudinem (1). Quaestio autem est haec: utrum Polybius, an Livius veram, qua Hannibal Alpes transierit, viam indicaverit; tum vero utriusque descriptio possitne conciliari? Mihi quidem ii recentiores placent, qui, ut in conciliandi conatu utilem operam poni negant, ita omnia eo ferre contendunt, ut Polybii sententiae plurimum tribuas. Praecipuus, quem secutus sum, est Melville (2).

Sed veniamus in rem praesentem. Numidis reversis (3) post magnam, quam fecerant iacturam, vel ante eorum reditum (4), Hannibal, concione advocata, Bo-

---

(1) Anno 1828, quo Zander edidit opus suum: „*Der Heerzug Hannibals über die Alpen*," iam erant 42 de hoc argumento commentationes. Vid. eius opus laud. 130, sqq.

(2) In opere Mülleri laud., cuius conf. praefat. p. 4, sqq.

(3) Liv. XXI, 29.

(4) Pol. III, 44.

iorum legatos et regulum Magilum, qui e campis Circumpadanis accesserant, produxit, quibus se duces itinerum periculique socios fore pollicitis, ipse milites hortatus est, eosque ad fiduciam prosperi successus incitare studuit. Verba eius magna alacritate excepta. Interim equites Romanorum victores, hostem quum insequuti essent, et usque ad vallum processissent, Scipioni adventum Poenorum nuntiant, cuius a Livio tradita haesitatio parum respondet dimicandi cupiditati, quam hic statim apud Polybium ostendit. Hannibal autem iuxta Rhodanum adverso flumine versus mediterranea Galliae tetendit, Livio iudice: „non, quia rectior ad Alpes „via esset, sed quantum a mari recessisset, minus ob-„vium fore Romanum credens: cum quo, priusquam „in Italiam ventum foret, non erat in animo manus „conserere (1)." Hanc vero cogitationem alienissimam a mente Poeni fuisse credo. Nam praeter Polybii hac de re silentium, ex eiusdem libro III, c. 34—49 patet, Hannibalem iam antea expeditionis rationem secum constituisse, regionem, incolas, pericula, omnia inquisivisse, eumque ad itinerum difficultates superandas ducibus indigenis, eorundem secum fatorum sociis, usum esse. Praeterea optime norat Hannibal, Scipionis exercitum, si ipsum sequeretur, a Gallis funditus deletum iri. Itaque scriptor Romanus hîc explicare studet, cur Hannibal a via, quam, se auctore, prius sequi in animum induxisset, abierit. Verum ponamus, hanc brevissimam viam eum in animo habuisse: cur tunc Rhodanum non ad eius et Druentiae confluentem transmisisset, quaerere saltem subit? Hoc si fecisset, statim breviorem illam

---

(1) XXI, 31.

viam (1) facilius et tuto inire potuisset. Scipio autem, triduo post Carthaginiensium abitum, ad transitum fluminis venit, unde quum hostes iam abiisse vehementer miratus esset, Hannibali, ab Alpibus descendenti, occurrere decrevit; copias itaque naves adscendere iussit, fratremque Cnaeum in Hispaniam, provinciam suam, misit. Non enim audiendus Eutropius, scribens: „Tum „P. Cornelius Scipio cum exercitu in Hispaniam pro„fectus est (2)." Poeni vero quartis castris ad *Insulam* pervenerunt, cuius descriptionem Livianam audiamus: „ibi Isara (3) Rhodanusque amnes, diversis ex „Alpibus decurrentes, agri aliquantum amplexi, con„fluunt in unum. Inde mediis campis Insulae nomen „inditum (4)." Dicat quis, hinc huius regionis cum insula similitudinem sibi nondum magnopere patere. Verum duo monenda: alterum, vocabulum *inde* a recentissimis Livii interpretibus recte e textu eiectum esse videri (5), quo sublato Livius simpliciter nomen regionis, non causam nominis, memorat. Alterum, causam nominis intelligi e Polybio. Hic, quod deest descriptioni, supplet: depingit enim regionem fertilem et cultoribus abundantem, atque, ut nomen iure inditum

---

(1) Haec ducebat a Cabellione (*Cavaillon*) per Segusteronem (*Sisteron*) et Embrodunum (*Embrun*) ad Alpem Cottiam (*Mont Genèvre*). Wesseling *Vet. Rom. Itiner.* 342.

(2) III, 8.

(3) Sic enim legendum esse pro *Arar*, uti recte iam monuit Gronovius ad Liv. XXI, 31, sic hodie dubio caret. Vid. Alschefski et Fabri ad Liv. l. l. Lectio *Bisarar*, quam codex Cant. exhibet, corrupta est in *Arar*. Cf. quoque Schweigh. ad Pol. III, 49 et Müll. 52.

(4) Liv. l. l.

(5) Cf. Alschefski et Fabri.

esse monstret, tertium latus montes invios constituere dicit, duo cetera Isaram ac Rhodanum. Ut situs magis pateat, animadvertit eius similitudinem cum Delta Aegyptiorum, quam e legatione ad Ptolemaeum Epiphanem cognoverat (1). Montes illi accessu difficili, incipientes a parte septentrionali lacus *Bourget* extenduntur iuxta flumen *Guichers vif* ad urbem Gratianopolin (*Grenoble*), inde rursus septentrionem versus usque ad *Pont de Beauvoisin*. Id iugum est quasi primus gradus Alpium. Huius Insulae incolae erant *Allobroges*. Sed hîc rursus Livii locus memoretur: „Incolunt, sic ille pergit, prope „Allobroges, gens iam inde nulla Gallica gente opibus „aut fama inferior." Nostra, inquis, quid scire refert, quinam *prope* incolant, quum sciendum sit, qui in τῇ Νήσῳ habitent. Num sic Romanus scripserit, ut certius indicaret, Hannibalem non ulterius quam ad Isarae et Rhodani confluentem suum cursum persequutum esse (2), nescio: id tamen falsum esse, infra patebit.

Apud hos Allobroges, quos in Insula habitasse constat, regni certamine ambigebant duo fratres; Hannibal, a maiore accitus (3), minorem eiecit, multisque

(1) Pol. III, 49.

(2) Quae est opinio doct. Letronne, *Journal des Savans*, Janv. 1819, propter Polybii verba: „ἧκε πρὸς τὴν Νῆσον" et „πρὸς ἣν ἀφικόμενος." Mirum sane, eum non porro legisse: „καταλαβὼν ἐν αὐτῇ," quae aeque ac priora de duce cum toto exercitu accipienda sunt. Nec Hannibal alioqui iter 1400 stadiorum iuxta Rhodanum emensus esset, sed fortasse non ultra 700.

(3) Polybium secutus sic opinatur quoque Arnold III, 83; contrarium tuetur Bötticher 253.

auxiliis ob id beneficium ab illo est adiutus; quid, quod ad ipsas Alpium radices eo cum militibus comite usus est? De Livii sententia Carthaginiensium dux arbiter ab utraque factione creatus est. Sed praeter multa vitia, quae in hoc capite observavimus et porro observabimus, ipse modus, quo haec e Polybio (1) hausit, eius negligentiam arguit. Etenim omisit illum maioris fratrum comitatum, rem maximi momenti, quum tamen affirmet, cum bona pace incolentium ad Alpes venisse Poenos (2). Ceterum apud eum idem est Hannibalis in lite illa iudicium. Hoc certamine ad finem perducto, ulterius progressus est exercitus, etsi iam antea, ut litem dirimeret, ad praecipuam regionis huius urbem processisse ducem, statuere necesse sit. Hanc eo tempore fuisse Viennam Allobrogum (*Vienne*) probatur Strabonis et Ptolemaei consensu (3), tum situ eius munito. Hannibalem hîc fuisse docemur clipeo argenteo, in vicinia huius urbis invento (4). Quae omnia luculenter etiam indicant, Carthaginienses non ad Isaram substitisse (5), sed nunc demum a Rhodani cursu abiisse, et viam capientes, a Vienna per Bergusium (*Bourguin*) ad Augustam Allobrogum (*Aouste*), prope quam iterum ad Rhodanum accesserunt, ad Etannam (*Yenne*) contendisse (6). Sententiam multa firmant argumenta; quae, postquam Polybii locum, huc

(1) Lachm. 41.
(2) Liv. XXI, 32.
(3) Müll. 54.
(4) Böttich. 253, N. 1.
(5) Cf. supra p. 25, N. 2; porro infra.
(6) Müll. 53.

facientem, memoraverimus, attendemus. „Ἀννίβας δ' ἐν „ἡμέραις δέκα πορευθεὶς παρὰ τὸν ποταμὸν εἰς ὀκτακοσίους „σταδίους, ἤρξατο τῆς πρὸς τὰς Ἄλπεις ἀναβολῆς (1)." In nota ad h. l. Schweighaeuserus, ubi pluribus contendit, Isaram hîc ποταμὸν intelligendam esse, tandem, Pol. c. 39 iterum collato, de sua ipse opinione se dubitare dicit, et Casaubono paene assentitur, Rhodanum hîc innui affirmanti. Illius autem capitis locus, qui Schweighaeuserum a priore sententia prope abduxit, sic se habet: „Ἀπὸ δὲ τῆς διαβάσεως τοῦ Ῥοδανοῦ πορευμένοις „παρ' αὐτὸν τὸν ποταμὸν ὡς ἐπὶ τὰς πηγὰς, ἕως πρὸς τὴν „ἀναβολὴν τῶν Ἄλπεων τὴν εἰς Ἰταλίαν, χίλιοι τετρακόσιοι „(stadia scil.)." Verba igitur in priore sententia: „παρὰ τὸν ποταμὸν" iis locis adscribenda videntur, in quibus Polybius (2) res satis notas esse iudicavit, easque propterea non accuratissime descripsit.

Illa vero argumenta, viam, quam dixi, comprobantia, sunt haec: quum Polybius c. 47 Rhodani cursum describat, nec memoret anfractum huiusce fluvii prope Lugdunum, credas, eum hunc ignorasse (3); ipsum enim copias emensas esse illc, multis contrarium probantibus, statuere vix potuit. Porro, cur agmini tantus circuitus placuisset, quod, ut vidimus, Viennae adesse, non autem Lugduni, deberet, optimisque, quippe indigenis, uteretur ducibus? His si addamus, viam, a confluente Rho-

---

(1) III, 50.

(2) „Singulari quodam consilio usus, locorum nomina re„ticuit." Lachm. 13. Cf. Niebuhr, Ed. Zeiss 221. Müll. in exordio 22, 23, 24.

(3) Cf. Müll. 49 et Bött. 254, N. 1.

dani atque Isarae ad Viennam, indeque Etannam esse 97 milliariorum sive 776 stadiorum, et cum superiore a *Roquemaure* hunc numerum fere 1400 stadia complere, illud verum iter esse, nemo, me iudice, infitias ibit.

Sed videndum etiam, quid tradat Livius: „Sedatis certaminibus Allobrogum, quum iam Alpes peteret, (Hannibal) non recta regione iter instituit; sed ad laevam in „Tricastinos flexit; inde per extremam oram Vocontiorum agri tetendit in Tricorios: haud usquam impedita via, priusquam ad Druentiam flumen pervenit." Sequitur deinde descriptio huius fluminis (1). Atqui, quum initio saltem adversa Isara agmen profectum esse existimet, non ad laevam illud Tricastinos habuit; hos enim, quippe incolentes prope Augustam (*St. Paul trois chateaux*), in primo itinere post Rhodanum traiectum repererat. Itaque error, quem notavit Melville, revera adest; causam eius suspicatus est nonnemo verborum transpositionem, posteriore tempore factam (2). Verum sequentia quoque non habeo, quomodo explicem: cuiusnam utilitatis primum illud iter ad Isaram fuisset, si postea fere ad eundem locum rediissent, certe magnam eius partem iterum emensi essent? Nam solummodo Allobrogum gratia Hannibalem id facturum fuisse, si vel maxime de eorum litibus fando

(1) XXI, 31.

(2) Si enim verba: „ad laevam in Tricastinos flectit" secundae huius capitis sententiae, inseras post: „adversa „ripa Rhodani," difficultatem illam sublatam esse dixerunt. Aliorum opinionem, qua *ad laevam* non Hannibali, sed Italis cogitetur, nullo modo probo. Cf. Alschefski ad Liv. l. l.

audivisset, a sana ratione abhorret. Praeterea, venit ille ad Druentiam; nimirum ad eam partem, quae est prope fontes: at vero de hac parte non valent quae scriptor huic tribuit: eum ibi aquae vim ingentem vehere, transitum difficilem esse (1). In tales difficultates, si Livium sequimur, nos incidere necesse est; huc usque tamen eius narrationem tantum per se inspeximus. Crescunt autem hae difficultates, ita ut ex iis prorsus te expedire nequeas, eo collato cum scriptore Graeco. Hic diserte agmen παρὰ τὸν ποταμὸν (Rhodanum) ivisse indicaverat; ille contra, id fluvium ad Isaram deseruisse scribit; hic, Hannibalem ducibus Allobrogum usum esse, eorumque regionem transiisse; ille per Vocontiorum agrum eum ductum esse tradit.

Sed, quod gravissimum est, etsi Livius plane aliud iter memoret, nihilominus regioni eandem indolem tribuit atque Polybius terrae, a se indicatae: id ita esse docent verba: „campestri itinere" et „cum bona pa-„ce incolentium." At vero quum maxima pars Allobrogum regionis montibus careat, mentionemque ducum Polybius fecisset, optime eius intelligimus: „ἀσφαλῆ „δίοδον;" non autem Livium intelligimus, qui hanc mentionem omisit, et Poenos iam in mediis Alpibus prope Alpem Cottiam (*Mont Genèvre*), unum e centri iugis, esse scribit. Tandem, in sequentibus, inde a medio cap. 32, Polybii filum eodem loco, quo id dimiserat, iterum suscipit, eademque narrat, eti-

(1) *Histoire de Polybe, nouvellement traduite du Grec, par* Vincent Thuillier, *avec un commentairs par* M. de Folard, IV, 90. Quadrant haec in eius cursum prope Avenionem et Cabellionem.

amsi pars Alpium, quo uterque exercitum deduxerat, toto · coelo differat. Hîc igitur apparet illa ἀκρισία, qua saepe Livius variorum sententias permiscuit; licet Polybium non in omnibus sequatur, tamen peculiaria ex eo haurit (1). Transferas in eum Polybiana: „λανθάνουσιν ἐκπίπτοντες „εἰς δύο τὰ πάσης ἱστορίας ἀλλοτριώτατα· καὶ γὰρ ψευδο- „λογεῖν, καὶ μαχόμενα γράφειν αὐτοῖς ἀναγκάζονται (2)."

CAPUT V.

DE ALPIUM TRANSITU USQUE AD CONSCENSAM ALPEM GRAIAM.

A. U. C. 534. A. C. N. 218.

Sed Hannibalis iter porro persequamur. Fratrum maior eum comitatus est ad fines regni sui; reliquit, ut suspicamur, prope Augustam Allobrogum (*Aouste*), nam legimus: comitatum Poenis affuisse usque ad Alpium radices et substitisse intra: „τὰ ἐπίπεδα." Magilum ceterosque tunc munere suo de integro functos esse putem. Hi itaque duxerunt eum, ut vidimus, inde ab Etanna ad iugum Thuatem (*Mont du Chat*) (3). Mox autem apparuit, molestam esse absentiam egregiorum, qui Carthaginiensibus huc usque

(1) Cf. Lachm. et alibi et p. 41.

(2) III, 47.

(3) De ipso, quo Hannibal transierit, iugo videbimus infra.

fuerant, ducum: quo magis enim progrediebantur, eo magis petebantur dolis, insidiis, proeliis. Iamprimum, exercitus vix in montem erigi coeptus, loca, sibi transeunda, occupata vidit ab alia Allobrogum stirpe. Hîc statim animadvertimus discrimen quoddam inter ambos scriptores: Polybius haud cunctanter barbaros hos Allobroges vocat, et manifesto innuit, varias stirpes huius gentis fuisse, maximam vero eam, quae lite illa in duas factiones divisa erat; legimus enim de minoribus: „*οἱ κατὰ μέρος ἡγεμόνες τῶν* „*Ἀλλοβρίγων*;" et porro: „*οἱ τῶν Ἀλλοβρίγων ἡγεμό-* „*νες* (1)." In re de fratribus certantibus eos dicit: „*ὑπὲρ τῆς βασιλείας στασιάζοντας* (2)," quae verba maiorem dignitatem indicare videntur. Livius vero eos appellat Gallos, postea montanos. Congruere varia haec nomina ita possunt, si statuamus: *Gallos* nomen fuisse, omnibus stirpibus barbarorum commune. Polybius itaque nomen peculiare, Livius contra generale adhibuit; posteaque, ubi idem facere voluit, eos montanos, ratione locorum naturae, dixit. Ceterum Livius reliqua e Polybio sumsit, sed reticuit primam, aequo Marte pugnatam, pugnam utrique parti noxiam. Praecedit etiam apud eum immanis frigoris narratio, quae alibi haud obvia et iam a Melvillio (3), Niebuhrio (4) aliisque in dubium vocata, silentio prae-

---

(1) III, 50.

(2) III, 49. Liv. de his: „gens iam inde nulla Gallica „gente opibus aut fama inferior."

(3) Müll. 110.

(4) Ed. Zeiss. p. 224: „Es ist ein grober Irrthum, wenn „einige Schriftsteller Hannibal über ungeheure Eisfelder gehen „lassen."

termitti potest. Finis autem certaminis inter Allobroges et Poenos hic fuit, ut hi oppidum sive castellum illorum cum vicis nonnullis caperent. De huius situ variae prolatae sunt coniecturae, omnes verisimiles, quippe non magno loci ambitu conclusae. Mihi tamen videtur duabus firmum praesidium esse. Alteri, quae est eorum, qui Allobrogibus his caput *Bourguet* tribuunt, favet exigua loci distantia inter hoc oppidum et montem Thuatem; alteri, quam tuentur ii, qui Lemincum (*Chambery*) caput esse opinantur, favet situs in regione fecunda ac suavi, sed quum huic opinioni adversetur, quotidie Allobroges ab urbe illa ad montes venisse, noctuque ad eam recessisse, prior coniectura verisimilior videtur. Hannibal, ad duos tresve dies pecoris et frumenti copia potitus, hoc insuper impetravit, ut, terrore accolis iniecto, aliquantum viae sine metu perficere posset. Post unius diei quietem castra movit. Iter ulterius monstrat natura ipsa: ducit enim per Lemincum (*Chambery*) ad *Montmeillan*, inde iuxta Isaram versus eius fontes. Ipse Polybius id quoque intellexisse videtur, ut ex brevi eius descriptione efficere licet. De via, ducente ad Montem *Cenis*, sermo esse nequit, quoniam Strabo in enumeratione quatuor per Alpes viarum, de ea silet (1).

Sed iterum ingens periculum Hannibali instabat. Quarto post quietem die venerunt ad eum alius gentis legati, pacis signa ferentes. Verum mox cognita sunt eorum consilia perniciosa. Undique ceteri accolae, ex insidiis coorti, aggressi Carthaginienses, qui in convalle erant,

(1) Müll. 70, 71.

magnum iis damnum attulerunt. Hannibal, ab altera copiarum parte hostibus seiunctus, cum dimidia earum parte pernoctavit. Postero die Poeni, e convalle egressi, segnius intercursantibus barbaris, iuncti sunt, et leviore tantum impetu interdum petiti, nono die in Alpium iugum venerunt (1). Horum, amicitiae specie decipientium, nomen videtur fuisse: Centrones, qui habitabant in convalle, quae inde a vico Ad Publicanos (*Conflans*) ad Alpem Graiam extenditur, hodieque *Tarentaise* dicitur (2). Narratio amborum scriptorum hîc plane consentit, quae consensio illud profecto confirmat, quod supra diximus, Livium inde ab ipso adscensu iterum Polybii descriptionem vertere coepisse. Operam perdere mihi viderer, si haec, quae a Polybio Livius mutuatus est, ad eum Alpium tractum referre vellem, quo secundum *huius* mentem exercitus pervenerat, nimirum ad regionem Alpi Cottiae circumiacentem (3). Unum tamen argumentum, ex experientia eorum, qui haec loca ipsi viderunt, haustum, addere libet, quo magis pateat, iter a nobis recte expositum esse: regionis huius, *Tarentaise*, fertilitatem. Id non leve pondus addit iis, quae iam dicta sunt: alioqui quonam modo per tot dies se aluissent milites? Distantia inde a *Bourguet* ad radices iugi, quo perventum erat, est 77 milliariorum, quae, quum 6 dierum iter esset, 13 cuique diei efficiunt milliaria: sane non nimis longum iter Poenis, qui iam initio expeditionis 15 milliaria confecerant.

(1) Pol. III, 52, 53. Liv. XXI, 34, 35.
(2) Böttich. 256, N. 3.
(3) Patet hoc ex Mülleri libro 111, sqq.

Dictis de proxima itineris parte hoc addendum. Legimus apud Polybium, Hannibalem noctem illam, quum in saltu degeret, transegisse: „περί τι λευκόπετρον ὀχυρὸν (1)." Ipsa verba attuli, quoniam recentiorum opiniones de momento huius rupis ad veram viam definiendam diversas esse video; aliis non magni facientibus, quod alii praecipuum censent argumentum, nimirum, rupem illam hodie ab incolis „*la roche blanche*" vocari, ob situm autem egregium praebere praesidium hac via incedentibus (2). Niebuhrius merito, me iudice, magnam vim ceteris argumentis addere arbitratur illam rupem, quin eam solam sufficere ad iter indicandum (3). Fine mensis Octobris pervenerant Poeni ad iugum Alpium, Alpem Graiam (*montem minorem S. Bernardi*) (4). Addit Livius: „per invia pleraque et erro„res, quos aut ducentium fraus, aut, ubi fides iis non „esset, temere initae valles a coniectantibus iter, facie„bant (5)." Haec, non e Polybio ducta, sed temere, ut videtur, a Romano scripta, aliis ipsius verbis opposita sunt, e quibus patet: Hannibalem Gallis ducibus usum esse (6), et fidem iis habuisse, quum, difficultate quadam superveniente, eos praemiserit (7). Ne-

(1) III, 53.

(2) Böttich. 257, N. 1. Müll. 79, 80.

(3) Ed. Zeiss, 222, 223: „Polybius sagt, offenbar „in der Absicht Hannibal's Weg zu bezeichnen, dass er nahe „bei einem weissen irgend Felsen angehalten habe." Vide etiam seq.

(4) De die cf. Zander p. 152. Niebuhrius: „in den „letzten Tagen des December." Ed. Zeiss, p. 224. Sed in Edit. Isleri II, 77 haec merito correcta sunt.

(5) l. l.

(6) XXI, 29.

(7) v. g. C. 32.

que ullo loco apud eum legimus de proditione vel animo hostili eorundem Gallorum.

Sed hîc primum cogimur fidum nostrum ducem, ut lenissime dicam, nonnihil amplificationis arguere. Quaestio est de Italia militibus, fessis taedio et anxie futura prospicientibus, dum per biduum quiescunt, hoc in iugo simul cum Romae situ ab Hannibale monstrata (1). Eadem scribit Livius (2). Verum, quum de peregrinatorum testimonio prospectus in Italiam nusquam ex illo pateat Alpium tractu (3), fateamur necesse est, Polybii locum haud explicari posse, nisi forte eius verbis hunc sensum tribuere placet: Hannibal militibus benevolentiam Gallorum, tum facilem aditum in Italiam, huiusque fertilitatem et Romae situm depinxit.

CAPUT VI.

DE EXERCITU IN ITALIAM DESCENDENTE.

A. U. C. 534. A. C. N. 218.

Post quietem duorum dierum, ire perrexit exercitus. Nullus quum infestaret hostis, ab hac saltem parte securum iter habuerunt; sed quot iacturas hominum iumentorumque attulerant hostiles impetus, tot damna mox pepererunt nives, glacies, variae omnino viarum difficultates. Quae tandem videbantur insuperabiles, quum

(1) Pol. III, 54.
(2) Liv. XXI, 35.
(3) Müll. 116.

copiae ad locum quendam invium substitissent. Hannibal, digressus ad visendum, eum circumire agmen iussit; sed hoc postquam fieri non posse ipso expertus erat conatu, viae novae muniendae operam navare instituit (1). Huius laboris descriptio, varia apud varios scriptores antiquos, recentiorum etiam sententias protulit complures (2).

Polybius, qui locum praeruptum esse dixerat in passus fere centum nonaginta (3), sic porro scribit: „*τὸν* „*κρημνὸν ἐξῳκοδόμει* (*Ἀννίβας*) *μετὰ πολλῆς ταλαιπωρίας*," et paullo post de eodem negotio utitur verbo: „*οἰκοδομία* (4)." Apud Livium haec occurrunt: „Inde ad „rupem muniendam, per quam unam via esse pote„rat, milites ducti, quum caedendum esset saxum, „arboribus circa immanibus deiectis detruncatisque, „struem ingentem lignorum faciunt eamque, quum et „vis venti apta faciendo igni coorta esset, succendunt, „ardentiaque saxa infuso aceto putrefaciunt. Ita torri„dam incendio rupem ferro pandunt, molliuntque an„fractibus modicis clivos" (5). Appianus ita habet: „— *χιόνος τε πολλῆς οὔσης καὶ κρύους, τὴν μὲν ὕλην τέμνων* „*τε καὶ κατακαίων, τὴν δε τέφραν σβεννὺς ὕδατι καὶ ὄξει*, „*καὶ τὴν πέτραν ἐκ τοῦδε ψαφαρὰν γιγνομένην, σφύραις* „*σιδηραῖς θραύων καὶ ὁδοποιῶν*" (6). Tandem Orosius: „Hannibal invias rupes igni ferroque rescindit" (7).

(1) Pol. III, 54, 55. Liv. XXI, 35, 36, 37.

(2) Quas affert Lachm. 31.

(3) I. e. circiter 950 pedes Rom., si quidem 125 passus sunt 625 pedes.

(4) C. l.

(5) C. l.

(6) Appian. VII, 4.

(7) *Hist.* IV, 14.

Locus huius rei procul dubio fuit ad Artolicam *(la Tuille)* paullo ad meridiem iugi Cremonis *(Mt. Cramont)* ad fluvium Duriam Maiorem, quum inde via Poenos deduxerit iuxta huius fluvii laevam ripam per Augustam Praetoriam *(Aosta)* ad Eporediam *(Ivrea)* in regionem Insubrium (1). De minori majorive illius laboris verisimilitudine aceti, ignis, ferri ope, ab Appiano et Livio pluribus, ab Orosio breviter memorati: de hac igitur quaestione, quae virorum doctorum industriam summopere exercuit, meum ego iudicium proferre vix ausim. Sic tamen mihi concludere liceat. E Polybio nihil de ipso modo, quo via munita sit, accipimus; e duobus ceteris multa. Hisce multis *adversantur* complures, alii, quia acetum in castris Poenorum non adfuerit (2); alii, quia non tantum aceti ibi fuerit (3); alii, quod lignum defuerit in hoc Alpium cacumine (4); alii aliis de causis, tribuuntque hanc, quam dicunt, fabulam vel Liviano ingenio (5), vel Sileno (6), vel Coelio Antipatro (7). Primae sententiae opponi potest usus

---

(1) Müller, 89, sqq. In eodem autem libro p. 93 errar mihi videtur, ubi e Polybio non omnino liquere dicitur, utrum mentio novae nivis c. 55 sit intelligenda de via, quae munienda esset, an de circuitu, frustra facto. Equidem credo, totum caput usque ad verba: „ὅθεν ἀποστὰς" explicationem postremae sententiae cap. 54 continere, et omnia haec revera de circuitu accipienda esse. Cf. Schweigh. ad III, 44, et Liv. c. 36.

(2) Lachm. 31, N. 1. Müller 117.

(3) v. Grosley, Saint-Simon, etc. Lachm. 31, N. 4.

(4) Müller 117. Böttich. 259, N. 2.

(5) Lachm. 31, N. 1.

(6) Matthiae, *Anmerk. zum 21 Buch* des Liv. 40.

(7) Nieb. Ed. Zeiss 224.

aceti ad bibendum; secundae id, quod docuit Veltheim (1), non magna copia opus esse; tertiae nihil, ut puto. Quum igitur priores sententiae haud magnam ad *adversandum* vim habere videantur, posterius argumentum, idque gravissimum, manet. E Polybii et Livii testimonio colligitur, cacumina tantum non nuda fuisse, sine ulla arbore, et, si quid esset pabuli, id obruisse nives. Livius igitur secum ipse pugnat tum, ubi de milite, „*manibus virgulta ac stirpes retinente*", tum vero maxime, ubi de „*ingenti lignorum strue*" loquitur. Ob quam pugnam, superioribus additam, in quibus inde a principio huius libri accuratissimam diligentiam requiris, et ob diversam quoque scriptoris Graeci sententiam ille statim reiiciendus videatur, nisi eius et Appiani atque Orosii consensio potius eo valent, ut credas, haec omnia tribuenda esse alii Alpium loco, sive ei, quem Lachmann p. 42 memorat, monti Penino, qui tamen non idem est, quem Appianus vocat: „δίοδον, ἣ νῦν καλεῖται Ἀννίβου" (2), sive ei, quem citat Müller (3), quique mihi verisimilior videtur. Sed hac de re ut pluribus disputem, nunc non requiri arbitror. Quod ad auctorem narrationis attinet, ob Appianum, similia tradentem, Fabio eam deberi censerem, nisi me retineret Fabii mens, quae a mirabilibus tam fuit aliena, quam animus Coelii ad haec propensus fuit (4), qui oratoriae facultatis studio saepius fortasse historiae dignitatem postposuit (5).

(1) Cuius commentatio: *Ueber das Feuersetzen der Alten* citatur a Lachm. 31.

(2) Appian. VII, 4.

(3) P. 97, Not.

(4) Liv. XXIX, 25. Lachm. 21.

(5) Placet Niebuhrii effatum: „Die Nachricht des Li-

Qualicumque autem modo via munita sit, Hannibal perrexit ire, et per tres dies continuos nihil adversi ei accidit. Tertio die venit in planum, et amicam Insubrium adiit regionem, postquam, ut vidimus, per Salassorum agrum transierat. Quinto mense inde a Carthagine Nova, die quinto decimo inde ab adscenso monte Thuate, iter ad finem perductum esse apud plerosque invenio. Copiae, in tabula Laciniensi inscriptae, hae supererant: 12,000 Africanorum, 8,000 Hispanorum, equitum 6,000. Haec enim probabiliter ex veterum scriptorum testimoniis colligi patebit nobis indagantibus, quatenus singuli a se invicem differant.

Ac primum quidem quinque mensium loco sex menses affert Appianus (1). Verum hic inveniri non potest, quia nobis deest notitia tum dierum, quos in quaque urbe transegerit Hannibal, tum temporis iacturae, proeliis ac viarum difficultate allatae. Veri autem simile memorare iuvat. Nam, comparato Pol. cap. 39, numerum stadiorum totius itineris 8400 constare novimus; quae 8400, numero 8 divisa, efficiunt 1050 milliaria. Cuiusque diei itineri si 14 milliaria tribuis, quem numerum medium esse scimus, prodeunt 75 dies, i. e. duo menses et tertii pars dimidia. Hisce non temere addes totidem dies, quieti, proeliis, ceterisque negotiis datos; inde 5 menses, a Polybio et

---

„vius, dass Hannibal mit Hülfe von Weinessig die Felsen „gesprengt habe, ist eins von den Mährchen, welche wir „bedauern von einem verständigen Manne erzählen zu hö„ren. Es stammte ohne Zweifel von Coelius Antipater."

(1) VII, 4, 52.

Livio memorati, atque hi ad ea, quae gesta sunt, suffecisse videntur.

Alterum, quod in censum venit, est dierum in Alpibus superandis numerus, de quo certius statuere Polybius et Livius nos sinunt. Nono die in Alpium iugum perventum erat; biduum stativa habita (1); si ponimus cum Melvilio (2), nono illo die copias mane huc advenisse, primus quietis dies est ipse nonus. Descendi igitur coeptum est die undecimo; equitatus locum arduum reliquit duodecimo, elephanti abducti sunt die quinto decimo (3); his quindecim diebus accedunt tres, donec in planum pervenerunt copiae (4); hinc summa conficitur 18 dierum. Ultimum illud triduum, teste Livio, ob lassitudinem post muniendum quieti datum (5); quot autem dies tum ante finem itineris insuper elapsos esse censeat, non dicit.

Itaque manifestus in utroque scriptore error cernitur: summam habent quindecim dierum; summam duodeviginti tradere debuerant. Quo quidem errore ne eos liberare coneris, gravissima faciunt argumenta. Una enim difficultatis tollendae ratio esset, finem itineris non adventum in Insubrium campos statuere, sed prope Artolicam ponere post opus illud laboriosum peractum. Hanc vero rationem quae evertant, sunt: Pol. cap. 39:

---

(1) Pol. III, 53. Liv. XXI, 35.

(2) Müller, p. 95.

(3) Pol. III, 55. Liv. XXI, 37. Duodecimum enim diem ad tres dies, absumptos labore elephantorum traiiciendorum, referre vetat Livius: „quatriduum circa rupem „consumtum."

(4) Pol. III, 56.

(5) Liv. XXI, 37.

„ ἂς ὑπερβάλλων ('Αννίβας) ἔμελλεν ἥξειν εἰς τὰ περὶ τὸν „ Πάδον πεδία"; cap. 56: „ τὴν δὲ τῶν Ἄλπεων ὑπερβολὴν „ ἡμέραις πεντεκαίδεκα (ποιησάμενος 'Αννίβας), κατῆρε τολ- „ μηρῶς εἰς τὰ περὶ τὸν Πάδον πεδία, καὶ τὸ τῶν 'Ισόμ- „ βρων ἔθνος"; cap. 60: „ καταστρατοπεδεύσας ὑπ' αὐτὴν „ τὴν παρώρειαν τῶν Ἄλπεων," e quibus omnibus constat, scriptorem finem eo, quem nos quoque indicavimus, statuere loco. Praeterea ipse cap. 56 demum, et, disputatione a nostro argumento aliena interiecta, in primis cap. 60, veluti is, qui pensum absolvit, respicit ad ea, quae dicta sunt: calamitates et iacturas, quas exercitus passus erat, recenset, summatim iter exponit. E recentioribus alii aliter errorem memoratum dissimulare studuerunt: Melville, omittendo tres dies, impensos in viam, elephantis muniendam (1); Bötticher, quietis dies negligendo (2), quem ne sic quidem numerum quindecim dierum complere posse credo. Sed quo te cumque verteris, neuter historicus culpa vacat: Romani tamen error eo maior, quod, si tres dies (3), e Polybio sumtos, eius summae duodeviginti dierum adieceris, prodit numerus longius etiam a vero recedens unius et viginti dierum: quae tamen computatio, nisi forte exercitum Artolicâ Eporediam momento temporis volasse coniicis, vitari nequit (4). Pariter ignorantiae reus est Orosius, quin hic errorem errori addit; biduum enim commorationis in iugo omittens, quatuordecim tantum dierum summam continet (5).

---

(1) Opus laud. p. 96.
(2) P. 260, N. 3.
(3) Vide supra p. 40.
(4) Ed. Isleri I, 69.
(5) *Hist.* IV, 14.

Progredimur ad militum numerum, quem Hannibalem ad Insubres perduxisse veteres tradunt. Polybius memorat 20,000 peditum, 6,000 equitum (1); Livius, „qui plurimum, ait, 100,000 peditum, 20,000 equitum „fuisse scribunt; qui minimum, 20,000 peditum, 6,000 „equitum." Tum citat L. Cincii Alimenti testimonium: „80,000 peditum, 10,000 equitum," additque, eodem auctore, post Rhodani transitum 36,000 hominum amissa esse (2). Orosius haec refert: „fuisse tunc „exercitum eius 100,000 peditum et 20,000 equitum „definiunt" (3). Eutropius tandem: „Traditur (Han„nibal) ad Italiam 80,000 peditum et 20,000 equi„tum, 37 elephantos adduxisse. Interea multi Ligu„res et Galli Hannibali se coniunxerunt (4)." Has diversas narrationes si inter se conferimus, Polybii tantum et Cincii sententiam animadversione dignam esse animadvertimus; nam primam, a Livio memoratam, opinionem reiiciendam esse, aeque ac Orosii imitationem, et equitum mentionem, ab Eutropio *inde* etiam haustam, vix operae est monere. Quod ad Cincianum numerum, hunc falsum pronuntiare vetat auctoritas huius historici, optima usi vera narrandi opportunitate, saepiusque a Livio et a Dionysio laudati (5). Quum autem Graece scripserit, non immerito suspicatur Lachmann, Livium, ut saepe Polybium, ita hoc loco Cincium male intellexisse, et quae hic de copi-

(1) C. 56.

(2) C. 38.

(3) IV, 14.

(4) *Breviar.* III, 8.

(5) Krause, *Vit. et fragm. veter. Histor. Roman.* 63, sqq. Has laudes probant Niebuhr, Ed. Isleri I, 22. et Lachm. 16.

arum numero ad Pyrenaeorum transitum retulisset, illum ad itineris finem retulisse: demtis enim 10,000 militum et 1,000 equitum, Hannoni in Hispania relictis, supersunt 80,000 peditum et 11,000 equitum; in memoriam autem revocandum, Polybium numerum equitum non accuratissime tradidisse (1). Una igitur superest Polybii narratio, quae, ut cum secunda Liviana, ita valde cum superioribus, quae apud utrumque scriptorem legimus, consentit, sicuti haec indicat tabula:

90,000	peditum	12,000	equitum	
10,000	„	1,000	„	Hannoni relicta (Pol. c. 35. Liv. c. 23).
10,000	„			Domum remissa (ibid.).
70,000	peditum.	11,000	equitum.	

Itaque coniectura assequi possumus, Hannibalem inter Iberum et Pyrenaeos montes amisisse 20,000 peditum; 2,000 equitum: nam

50,000 peditum; 9,000 equitum ad Pyrenaeos pervenerunt. (Pol. ibid.)

Eodem modo coniicere licet, eum in itinere ad Rhodanum amisisse 12,000 peditum et 1,000 equites.

Nam

---

(1) Pol. III, 35. Liv. XXI, 23. Legimus: „ἱππεῖς „δὲ περὶ μυρίους καὶ δισχιλίους;" peditum vero numero hanc praepositionem non addidit. Vid. infra. De tota re cf. Pol. III, 60, 66. Liv. XXI, 39, 45, 47. Eutrop. l.l. Ceterum in hanc rem inquirens Lachmann, perperam Cincii numerum Livio videri Gallis Liguribusque additis superstructum esse, ostendere conatur. Cf. p. 80, 81.

38,000	peditum	8,000	equitum a Rhodano ducta (Pol. c. 60).
18,000	„	2,000	equitum in Alpibus amissa (nam dimidiam fere partem interiisse ait Pol. c. 60).
20,000	peditum	6,000	equitum restant (1).

Hoc igitur numero, Carthaginienses, Polybio teste, post multa discrimina magnosque labores, a ducibus Gallis in horum patriam ducti sunt, ibique se aliquamdiu reficere studuerunt (2).

CAPUT VII.

ANIMADVERSIONES DE HANNIBALIS ITINERE UNIVERSE SPECTATO, DEQUE LIVII CAP. 38.

Ansam totius itineris summatim contemplandi praebet Livius, qui narrationis fine se mirari dicit, *ambigi*, quanam Alpes transierint Poeni, suaeque de via sententiae firmandae operam navat. Hanc quoque Livianae descriptionis partem refutare conabor, simulque argumenta quaedam, viam, adhuc expositam, comprobantia, adiiciam. Ante tamen argumentorum, quae, hoc in primis loco, Polybii fidem probant, haec attingo: Polybius erat vir militaris exculti ingenii, optima optimorum virorum institutione usus; Romae amicos habuit viros, et in armis et in doctrinis praestantes; eo venit non tam diu

(1) Cf. Schweigh. ad Pol. III, 35.
(2) III, 56, 60.

post res, quas conscripsit, gestas, ut Romani eas parum curasse censendi sint; ipsa foedera aliaque monumenta publica cognovit; geographiae erat studiosus; fidem eius celebrant omnes; et, quod omnium gravissimum est, loca ipsa Alpium lustravit.

Tempore demum Augusti magis innotuerunt Alpes: quatuor viaé tunc Romanis cognitae. Inde ab occasu meridionali ad septentrionem hae erant per:

Alpes Maritimas, prope Mare Tyrrhenum, per Ligurum agrum ducentes,

Alpes Cottias, incipientes a Monte Vesulo (*Mont Viso*), ad quas pertinet Alpis Cottia sive saltus Taurinus (*Mt. Genèvre*), Taurinorum agrum percurrentes,

Alpes Graias sive Centronicas, ad quas referuntur Mons Cenius (*Mont Cenis*), iugum Cremonis (*Mont Cramont*) et Mons Jovis sive Alpis Graia sive Saltus Graius (*le petit St. Bernhard*), quae Salassorum regionem transeunt,

Alpes Peninas, quarum est Mons Peninus (*le grand St. Bernhard*) (1).

Livii locus hic est: „Id quum inter omnes con„stet, eo magis miror ambigi, quanam Alpes transierit „(Hannibal): et vulgo credere, Penino, atque inde „nomen ei (2) iugo Alpium inditum, transgressum" (3). Quod scriptor inter omnes constare contendit, est: Hannibalem apud Taurinos, quos primos eius in Ita-

---

(1) Strabo, Ed. Siebenkees IV, 93. H. J. Nassau, *Oude-Aardrijkskunde*, 3[de] *druk*, 1[ste] *stuk*, *Ouditalie*, 1846, p. 9.

(2) Sic recte e Gronovii coniectura legitur.

(3) XXI, 38.

lia hostes fuisse probe animadvertendum, degressum esse (1). Id legerat apud Cincium Alimentum, cuius exiguum fragmentum non ampliora docet. Omnibus, quibus id persuasum esse dicit, certe non adscribendi Polybius et Coelius, quorum descriptiones Hannibalem, ut ipse fatetur, per Salassos ad Libuos Gallos deduxerint, qui quum a Ptolemaeo Insubribus adnumerentur, utriusque narrationis consensio patet. Itaque, quoniam Livius Cincii fidem tantopere ceterorum auctoritati praetulit, ut, quod ille de Taurinis dixerat, tanquam argumentum firmissimum his opponat, quaeritur, num ipse Cincium recte interpretatus esse videatur. Locum Cincii, quem initio capitis citaverat, sine dubio ante oculos habuit. Eum vero in huius interpretatione a vero aberrasse probabiliter, ut vidimus, statuere licet (2). Quid igitur impedit, quominus iterum eum lapsum esse putemus? in qua sententia Gibbonum quoque fuisse comperi, aliam afferentem eiusdem loci explicationem. Hic enim censet, Hannibalem, in iacturis enumerandis occupatum, a Rhodani transitu incepisse et ad Taurinorum urbem substitisse; illic quum velut nova expeditionis periodus inciperet, non antea, inquit Gibbonus, cogitatione sua finem alteri posuerit quam coepisset altera; Livius autem putaverit, Cincium indicare, Hannibalem Taurinos primos in Italia adiisse; verum nexus loci suadet, ut ita interpretemur: prima haec regio erat, ubi Poeni proelium committerent (3).

(1) Pariter Silius Italicus, *Punic.* III, 646.

(2) Vid. supra p. 42.

(3) *Miscell. Works* II, 185.

Sed fac, Livium Cincii mentem recte interpretatum esse, tum quaeritur, num Cincii et Polybii auctoritas non tantum par censenda sit (1), sed illius auctoritas adeo superior habenda, ut huius testimonium, a Coelio confirmatum, propterea reiiciendum videatur? Denique Plinii de Catone verba animadvertentes: „Lepontios et Salassos Tauriscae gentis idem Cato arbi„tratur" (2), indeque discentes, Salassos Taurinorum gentis partem constituisse, prorsus infirmatum hoc Livii argumentum esse censemus. Quod autem non praetermittendum, exercitus, proeliis et itinere lassus vexatusque fame et frigore, quî tandem Taurinorum impetum sustinuisset, nisi prius apud Insubres vires refecisset?

Mons autem solus, per quem in Taurinos patebat aditus, est Alpis Cottia (3). Quae Livium impulerint, ut hunc statueret Hannibali iter praebuisse, haec mihi fuisse videntur: mos non unius testimonium sequendi, sed diversa miscendi, unde factum, ut in singularibus Polybium sibi ducem elegerit; exigua Polybianae Coelianaeque sententiae intelligentia; huius viae brevitas; denique communis aequalium, quae eodem redibat, in primisque Strabonis sententia.

Huius locus sic sese habet: „τέτταρας δ'ὑπερβάσεις „(Polybius) ὀνομάζει μόνον· διὰ Λιγύων μὲν τὴν ἔγγιστα τῷ Τυῤῥηνικῷ πελάγει· εἶτα τὴν διὰ Ταυρίνων, ἣν

(1) De qua quaestione ex ipso scriptoris opere statui ob fragmentorum inopiam non potest.

(2) Apud Plin. III, 20. Krause l.l. 121.

(3) Vid. supra p. 45.

„Ἀννίβας διῆλθεν· εἶτα τὴν διὰ Σαλασσῶν· τετάρτην δὲ, „τὴν διὰ Ῥαιτῶν· ἁπάσας κρημνώδεις" (1).

Locum attuli ob eorum, qui Livium sequuntur (2), opinionem, efficientium e verbis: „ἣν Ἀννίβας διῆλθεν", Polybium idem iter significasse. Quicumque autem ex ipso Polybio, attente lecto, haud intellexerit, hunc plane aliud iter innuere, neque verba illa ei, sed ipsi Straboni tribuenda esse, nae ille sero sapiet.

Tandem non liquet, utrum Varronis sententia Alpes Cottias, an Peninas indicet; nec, quum utraque harum opinionum Polybianae adversetur, pro nostro consilio magni est momenti.

Praesidium Livianae sententiae recensuimus, idque infirmissimum esse apparuit. Iam venimus ad verba sequentia: „nec verisimile est, ea tum ad Galliam „patuisse itinera." Comprehenduntur voce *ea* et mons Peninus et mons Cremon, quem Coelius designaverat Poenos transiisse. De Penino tamen, de quo mox plura, id lucidius ac magis data opera expressit. Explicanda autem eius verba aut sic: non suo tempore consuetum iter sumsisset Hannibal, si ponimus, eum per montem Cremonem iisse; aut: fieri non potest, Hannibalem copias per hunc montem duxisse, cuius indoles nullum prorsus transitum admittebat. Priorem

---

(1) Vid. supra p. 45, N. 1.

(2) Horum praecipui sunt: Folard, *Commentaire sur l'histoire de Polybe;* d'Anville; G. de Vaudoncourt, *Campagnes d'Annibal;* Fortia d'Urban, *Dissert. sur le passage du Rhone et des Alpes par Annibal;* Letronne, *Journ. des Savans*, Janv. 1819; alii, quos citat Zander, *Der Heerzug Hannibals über die Alpen.*

interpretationem si probamus, sane vera dixit: nam Augusto demum regnante, Salassi subiecti sunt a Varrone(1), ipsoque curante, via per eorum tractum ducta est (2). Sed nusquam legimus, vulgarem viam a Carthaginiensibus adhibitam esse; contrarium potius indicat Polybius, multa narrans tum de tempestiva Hannibalis cura, ut bonos duces haberet perveniretque ad horum gentem, sociam suam, tum de difficultatibus atque impedimentis, in expeditione obviis, deque ingenti hominum et iumentorum iactura. Diserte Livium causam longioris itineris referre, supra vidimus (3). Consentiunt ceteri, Appianus, Zonaras, Orosius, Eutropius cum Polybio et Livio, transitum improbis laboribus constitisse. Itaque Hannibal nec facillimam praetulit, nec brevissimam viam; ne tamen credamus, eum per loca paene invia copias duxisse, prohibet Polybius, Gaesatas narrans non multo ante eandem, ac Poenos, viam iniisse (4).

Prouti Alpem Cottiam missam fecimus, ita e quatuor, quae attulimus, iugis Alpes Maritimae, utpote a nemine memoratae, haud magis in censum venire possunt. Restat, ut de Penino deque Alpi Graia videamus. Livii tempore vulgarem opinionem Penino favisse, atque a transitu Hannibalis nomen eius petitum esse, quamquam id iter ad Galliam tum nondum patuerit, ab ipso accepimus. Iam sic ille pergit: „utique, „quae ad Peninum ferunt, obsaepta gentibus semiger-

---

(1) Epit. Liv. CXXXV, Cap. 9. Suppl. Freinshem.

(2) Strabo IV, 208.

(3) P. 34.

(4) III, 48 coll. cum II, 23, sqq. Liv. Epit. XX: „Galli Transalpini, qui in Italiam irruperant."

„manis fuissent. Neque, hercule, montibus his, si „quem forte id movet, ab transitu Poenorum ullo Ve„ragri, incolae iugi eius, norunt nomen inditum, sed „ab eo, quem, in summo sacratum vertice, Peninum „montani appellant." Vehementius igitur iter per hunc montem quam per iugum Cremonis duxisse negat (1).

Superest Alpis Graia, a Polybio indicata, cui, praeter multiplicem scriptoris cum regionum natura ac distantia convenientiam ipsamque ei concessam regionum illarum contemplationem (2), duo favent veterum loci; alterum est Coelii testimonium (3), alterum Nepotis: „Ad Alpes posteaquam venit, quae Italiam ab Gallia „seiungunt, quas nemo unquam cum exercitu ante „eum, praeter Herculem Graium, transierat (quo facto „is hodie saltus Graius appellatur), Alpicos, conantes „prohibere transitu, concidit, loca patefecit, itinera „muniit, effecitque, ut ea elephantus ornatus ire posset, „qua antea unus homo inermis vix poterat repere (4)." Et haec quidem unice probamus.

Quodsi iam omnium eorum, de quibus disputa*vimus*, quaeque perperam a Livio tradita esse iudicavimus, summa quaeritur, haec afferenda sunt: Poenorum, ad

---

(1) E recentioribus famam de Hannibalis itinere per Peninum tuentur Cluver, Gibbon, Whitacker. Variorum sententias recenset Müller in opere laud.

(2) „*Ἡμεῖς δὲ περὶ τούτων εὐθαρσῶς ἀποφαινόμεθα,* „*διὰ τὸ περὶ τῶν πράξεων παρ' αὐτῶν ἱστορηκέναι τῶν πα*„*ρατετευχότων τοῖς καιροῖς, τοὺς δὲ τόπους κατωπτευκέναι,* „*καὶ τῇ διὰ τῶν Ἄλπεων αὐτοὺς κεχρῆσθαι πορείᾳ, γνώ*„*σεως ἕνεκα καὶ θέας.*" III, 48.

(3) Vid. supra, p. 46, 47.

(4) *Hann.* 3.

hostes vitandos, in Insulam Allobrogum profectio (1): parum accurata huius Insulae descriptio (2): Allobrogum ipsorum sedes non recte indicata (3): Hannibalis in horum lite interventus minus probabiliter expositus (4): multi agminis circuitus, orti ex itinere ad Tricastinos et Tricorios (5): absurda Druentiae indolis narratio (6): Alpium naturae ignorantia (7): iniqua de ducum fraude suspicio (8): secum invicem pugnantia in dierum enumeratione et in iis, quae quoque die acta sunt (9): denique non aptissima semper ad sententiam firmandam argumenta (10).

CAPUT VIII.

DE HANNIBALIS IN ITALIA REBUS GESTIS CUM TAURINIS, DEQUE PUGNA INTER TICINUM ET PADUM.

A. U. C. 534. A. C. N. 218.

Iam inceptorum haud pauca exsecutus erat Hannibal: securitati et Africae et Hispaniae prospexerat; maiorem huius partem subegerat; iter illud, quod

(1) Vid. supra p. 23.
(2) p. 24.
(3) p. 25.
(4) p. 26.
(5) p. 28, 29.
(6) p. 29.
(7) p. 29.
(8) p. 34.
(9) p. 40, 41.
(10) Cf. totum hoc caput.

tantopere metuerant milites, perfecerat; ad gentem amicam pervenerat, ibique large opportunitatem milites reficiendi nactus erat. Sed praecipua supererant; instabat bellum illud, cuius exitus alterius civitatis lapsus esset, alteri ingentem afferret potestatis accessionem.

Hannibal, teste Polybio, post dies aliquot reficiendis copiis datos, de Livii vero sententia, statim quum descenderat, incidit in gentem Taurinorum. Cum his, Insubrium hostibus, frustra societatem iungere quum conatus esset, castris ante urbem eorum maximam positis, triduo eam expugnavit. Sic scribit uterque, nomen urbis omittens (1). Quod ex epithetis „*caput* et βαρυτάτην πόλιν" coniicere liceret, eam Augustam Taurinorum (*Turin*) fuisse, id nos manifesto docet Appianus, apud quem nomen Taurasiae legitur (2). Hac celeri expugnatione audita, multi ex accolis sese in fidem Poenorum tradiderunt (3); multi vero, tradere se, licet cuperent, consulis Romani metu non ausi sunt. Nam Corn. Scipio, a consilio, quod supra memoravi (4), decesserat, Pisasque interea venerat, atque, exercitu tirone a Manlio Atilioque praetoribus accepto, ad Padum festinaverat. Hîc autem Livius erroris non accusandus est, sed, collatis cap. 32 et 39 cum Pol. cap. 56, sic statuendum: Scipionem primum Genuam, deinde Pisas tetendisse, Liviumque Pisarum nomine provinciam Liguriam, ut Arimini nomine

(1) Polyb. III, 60. Liv. XXI, 39.

(2) VII, 5. Cf. Schweigh. et Drakenb. ad locos laudatos Pol. et Liv.

(3) Eutrop. III, 8: „Interea multi Ligures et Galli Hannibali se coniunxerunt."

(4) Vid. supra p. 24.

Galliam citeriorem significare (1). Romanus igitur et Poenus sibi haud opinantes obviam veniebant, et alter alterum ob celeritatem itineris admirabatur. Nec minus obstupuerunt ipsius Romae cives: statim Senatus, nuntio misso, Sempronio mandavit, ut patriae, maximum in periculum adductae, opem ferret, eaque, quae sibi proposuisset, omitteret. Hic enim Lilybaei erat animoque valde intento in cura huius oppidi occupandi (2). Sed mox, hoc nuntio accepto, classiarios Romam versus navigare, pedites statuto die Arimini adesse iussit. Haec omnia, ad Sempronium pertinentia, suo loco omittit Livius, ea tantum postea attingens, de quibus deinde videbimus.

Scipio, quum appropinquantes vidit hostes, militum animos oratione cohortatus esse dicitur. Nec minus Hannibali erat suos excitandi studium, sed alio modo illud explens occurrit: exemplo nimirum captivorum Gallorum, quibus, certamine singulari congredi iussis, aut mors, aut libertas et honores ob oculos ponebantur. Hoc spectaculo, conditionis ipsorum speculo, incitatos milites Hannibal verbis insuper onfirmans inducitur (3).

Haec quo loco utrimque acciderint, non constat. Quamquam enim omnes omnino scriptores de ipso proelio loquuntur, non tamen plane eundem locum indicare videntur. Docet Polybius, Scipionem, traiecto Pado, ulterius progressum esse, et, ut Ticinum transiret, ponte fluvium iungere idoneos homines iussisse.

---

(1) Cf. Sigon. ad Liv. c. 39.

(2) Pol. III, 61.

(3) Pol. 62, 63, 64. Liv. XXI, 40, 41, 42, 43, 44. Zonar. VIII, 23.

Non tamen longe exercitus processit (1). Postridie autem, ut Polybius porro tradit, duces Romanorum et Carthaginiensium progressi sunt iuxta fluvium in ripa ea, quae est versus Alpes, Romanis fluvium ad laevam, Carthaginiensibus ad dextram habentibus. Huius, varie a variis expliciti, loci difficultas, dummodo adsit, in voce „ποταμὸν" latet (2). Quam ut bene interpretemur, utriusque exercitus locus in memoriam revocandus. Scipio cum Hannibale congredi volebat, Ticinum transeundum esse iudicabat, sine dubio traiecit, fortasse in vicinia urbis Ticini (*Pavia*), licet hoc apud scriptorem nostrum non legamus; quum traiecerat, secum reputare debuit, ubinam esset Hannibal. Hic, copiis refectis, Taurinorum caput ceperat; audierat, Scipionem Padum iam transiisse, vehementer dimicare optabat. Ex hacce iam Hannibalis cupidine pugnandi, coniuncta cum urbis Taurinorum situ, quem novimus, verisimile est, Polybium voce „ποταμὸν" Padum significare; sed dubio hoc caret, si Scipionis rationem agendi animadvertimus. Ambo igitur, quum sibi obviam fieri cuperent, iuxta Padum pergebant. Si fuisse nesciremus (3), qui illo „ποταμὸν" hîc Ticinum intelligerent, de hac voce dubitari posse haud suspicaremur: quomodo enim contra statuentes Ticini „τὸ πρὸς τὰς Ἄλπεις μέρος" indicent, nisi dextram huius ripam velint? quam tamen quî Romani

(1) Pol. III, 64 init. Reiskium, de Pado iungendo sermonem hîc esse contendentem, refutare post operam, a Schweigh. hac in re positam, non opus est. Cf. huius Not. ad l. l.

(2) Pol. c. 65.

(3) Hos refutat Lachm. 91.

ad laevam habere potuerunt? iidem porro num, legentes „ἔχοντες εὐώνυμον μὲν οἱ Ῥωμαῖοι, δεξιὸν δὲ τὸν „ῥοῦν οἱ Καρχηδόνιοι," putent, Poenos inde a Taurasia iter fecisse per medios Gallos, loco viae usitatae iuxta fluvium, adeo ut Ticini fontes adierint, atque ab his ad eius ostium perrexerint (1)? Profecto satis manifestum est e solo Graeci scriptoris testimonio, proelium, de quo mox videbimus, gestum esse in angulo illo, quem faciunt Padus et Ticinus.

Livius hac in re a Polybio dissentire dici nequit. Similiter atque hic, tradit, Scipionem fluvium ponte iunxisse; sed addit: „Ponte perfecto, traductus Ro„manus exercitus in agrum Insubrium, 5000 passuum „a Victumulis consedit. Ibi Hannibal castra habe„bat (2)." Lux vero, quam Livianus locus affert, nobis magnam partem eripitur a recentioribus, dissentientibus de vico, quem Victumulas dici vidimus (3), de quibus legatur velim Drakenborchii ad Liv. l. l. annotatio. Sedes autem Insubrium, ne cum De-Lucio Livii verbis, e Coelio fortasse ductis, diffidamus, non arctissime inter Ticinum et Adduam definiendae sunt, sed ipsis adnumerandi videntur Libicii, Vercellenses, alii (4). Quocirca persuasum mihi est, Livium eundem indicare locum pugnae, angulum scilicet terrae, iacentem inter Padum et Ticinum. Si igitur Romanorum castrorum situm attendis, Ticino propiorum, proelium ad Ticinum gestum esse, si contra

(1) Cf. Schweigh. ad Pol. c. 65.

(2) Liv. Ed. Drakenb. XXI, 45.

(3) Sic Fabri ad h. l., quamquam nomen vici dubio non caret.

(4) Lachm. 92, N. 3.

Carthaginiensium, nonnihil a Ticino remotorum, ad Padum illud commissum esse dicas. Haec ita se habere ceterorum scriptorum locis declaratur. Orosius (1), Aur. Victor (2), Val. Maximus (3) loquuntur de pugna pugnata ad Ticinum, quippe Romanorum castra cogitantes. Nepos (4) et alio loco ipse Polybius (5) ad Padum proelium consertum esse tradunt. Florus, a sua Livium imitandi consuetudine recedens, omnium accuratissime locum sic definit: „Ac primi „quidem impetus turbo inter Padum et Ticinum „valido statim fragore detonuit (6)."

Scipio et Hannibal, e castris ad loca exploranda profecti, pulvere utrique hostem appropinquantem indicante, ad proelium sese expediverunt. Aciei ordinem pariter referunt ambo scriptores, et, quod exiguum occurrit discrimen, hoc tribuas Livio, non accuratissime interpretanti. „Scipio enim, eo teste, iaculato„res et Gallos equites in fronte locat; Romanos, „sociorumque quod roboris fuit, in subsidiis (7)." Polybius autem scribit: „Ὁ μὲν οὖν Πόπλιος, προθέ„μενος τοὺς ἀκοντιστὰς, καὶ τοὺς ἅμα τούτοις Γαλατικοὺς

---

(1) *Hist.* IV, 14.
(2) *De Vir. Illust.* 42.
(3) V, 4, 2.
(4) *Hann.* 4.
(5) X, 3.
(6) II, 6; hunc sequitur Pighius IX, A. U. 535. E recentioribus aliam opinionem tueri videtur Niebuhrius: „Scipio ging über den Po, und lagerte sich an dem „Ticinus, in der Nachbarschaft von Pavia". Ed. Zeiss. p. 227. Ed. Meri II, 82.
(7) C. 46.

„ ἱππεῖς, τοὺς δὲ λοιποὺς ἐν μετώπῳ καταστήσας, κ. τ. λ. (1)". Sic ii, quos ille primam aciem vocat, apud hunc velites sunt et praemittuntur; subsidia vero Liviana apud eundem primam aciem constituunt (2). Deinde pugna equestris orta est, et, circumvectis Numidis, Romanis adversa fuit. In descriptione proelii consensus adest. De una re aliquid addendum. Pavorem Romanorum, quos terruerunt Numidae a tergo invadentes, auxit, ut ait Livius, vulnus consulis, quem, Coelio auctore, servavit servus quidam e natione Ligurum (3); si vero Livium sequeris, servavit filius, postea Africanus maior dictus. Licet enim Coelii narrationem non omnino fide indignam censeat, adiicit tamen: „ Malim equidem de „ filio verum esse, quod et plures tradidere auctores „ et fama obtinuit (4)."

De hoc Scipionis vulnere filiique facinore in pugnae ipsius narratione ne verbo quidem Polybius, quod eo magis miramur, quoniam mox diserte, licet paucis, vulneris mentionem facit (5), et postea pluribus filii facinus, a Laelio cum ipso communicatum, refert, ubi patris gratiae publice actae „ αὐτὸς τὸν υἱὸν σωτῆρα προσ„ εφώνησε" ac filii virtutes, universe spectatae, silentio non praetermittuntur (6). Quapropter Schweighaeusero

(1) III, 65.

(2) Videat. Schweigh., qui Casauboni coniecturam reiicit, ad l. l., citatque C. Guischardt, *Mémoires militaires sur les Grecs et les Romains.*

(3) Hunc sequitur Arnold, *History of Rome*, III, 94.

(4) C. 46.

(5) C. 66.

(6) X, 3.

assentimur, coniicienti, Polybium nisi pluribus, uno saltem verbo, rem illam h. l. tetigisse, et hoc ipsum intercidisse (1). E ceteris Zonaras (2), Val. Maximus (3), Orosius (4), Florus (5) eam commemorant, filioque decus tribuunt. Ob quorum omnium, Livianum Polybianumque testimonium confirmantium, locos ego fidem ipsi rei habere non dubito. Nam Coelii sententiam de servo illo nusquam invenimus. Pighium, qui haec omnia e Floro descripsit, video tradentem, filium, quum pater ex more eum meritis civicis donare vellet, ea negasse, quae unde hauserit, ignoro (6). Appianum autem, qui, missis ceteris, vulnus, quod unice memorat, coniungit cum proelio ad Trebiam, hîc non moramur (7). Superest, ut locos Zonarae, Flori et Orosii, huc pertinentes, attingam. Ille enim parum probabiliter ambobus ducibus consilium cum toto exercitu congrediendi tribuit (8); hi vero, in graviorem incidentes errorem, rem nimis amplificant, caesum ibi esse narrantes paene omnem Romanum exercitum. Etenim erat solummodo proelium equitum. De causa proelii, a Nepote tradita, infra videbimus. Cautus Eutropius in brevi sua descriptione non errat.

---

(1) Ad cap. 65.
(2) *Ann.* VIII, 23.
(3) V, 4, 2.
(4) *Hist.* IV, 14.
(5) II, 6.
(6) Liber IX, A. U. 535.
(7) VII, 7. Ita et Plin., cf. Freinsh. ad Flor. l. l.
(8) L. l.

CAPUT IX.

DE IIS, QUAE ACTA SUNT ANTE PROELIUM AD TREBIAM.

A. U. C. 534. A. C. N. 218.

Satis impedita sunt quae iam sequuntur. Quaestio est de recte definiendo utriusque exercitus loco ante pugnam ad Trebiam, et difficultas quaedam in modi, quo ambo duces eo pervenerint, descriptione inest.

Post proelium equestre, per medios campos Scipio exercitum ad Padum duxit. Hannibal usque ad fluvium et pontem ei impositum perrexit; quum autem pons interruptus, ceterique profecti essent, sexcentis fere moratoribus capiendis in praesens acquievit. In hisce consentiunt Polybius et Livius (1). Est vero controversia de illius verbis „*ἕως μὲν τοῦ πρώτου* „*ποταμοῦ*,“ quae alii de Ticino, alii de Pado intelligunt. At vero, ut de Pado ea capiamus, suadent multa: natura Ticini, non adeo ferox, ut Hannibalem morari posset: difficultas porro perspiciendi, quomodo Poeni, si ante Ticinum traiectum biduum iuxta Padum adverso flumine retro ierant, mox autem superato Pado biduum secunda fluminis ripa (2) progressi erant in

(1) III, 66. XXI, 47.

(2) Non autem, ut Schweighaeuserus in Not. ad h. l. dicit, rursus adverso flumine; diserte e Polybii loco id patet: „*παρὰ τὸν ποταμὸν, τὴν ἐναντίαν ποιούμενος τῇ πρόσθεν* „*παρόδῳ· κατὰ ῥοῦν γὰρ ἐποιεῖτο τὴν πορείαν.*“

hostium vicinia esse potuissent (1): auctoritas Livii, Appiani (2), Zonarae (3), ad Padi pontem haec referentium: quod maximum est, ipsa Polybiana narratio, quam si attente legerimus, patebit eam esse continuam, et proinde verba haec interiecta „σπεύδων ἐπὶ „τόπον εὐγεφύρωτον ἀφικέσθαι τοῦ Πάδου" inservire prioribus, quae nomen fluvii non continent, illustrandis (4). Accedit, quod idem in Scipionis reditu commemorando de Ticino traiecto silet: πρῶτον igitur fluvium dixit, quoniam primus traiiciendus fuerat Romanis, ab Etruria venientibus (5).

Poeni tandem, apto loco invento, transierunt; multi Galli se iis iunxerunt; ipsi castra posuerunt in conspectu Romanorum, qui sua ad Placentiam metati erant. Hannibal pugnae potestatem fecit, sed abnuit Scipio (6). Hisce locis lectis, res nondum valde perspicua est. Quod ad Romanorum statum attinet, Polybius dicit: „περὶ πόλιν Πλακεντίαν;" Livius, qui hunc amnem cognovisse videtur, reiecto Coelii testimonio, Polybium sequitur. Neque de hoc loco dicerem, nisi haec mentem subiisset Lachmanni sententia: „Pons Padi, per „quem venit et rediit Scipio, non erat prope Pla„centiam (7)." Ut hanc probet, citat Polybii verba „στρατοπεδεύσας περὶ πόλιν Πλακεντίαν"; sed vereor,

---

(1) Sicuti Pol. c. l. tradit.

(2) VII, 5.

(3) *Ann.* VIII, 24.

(4) Tria priora argumenta Schweighaeusero debemus, quem vide.

(5) Schweigh., Lachm. p. 93, N. 2. Hic tamen Nota 4 rursus pontem Ticino tribuere, a seque ipso dissentire videtur.

(6) Pol. et Liv. l. l.

(7) P. 93, 94.

ne vocabulum „περὶ", etiamsi latiorem interdum quam verbum *prope* significationem habeat, non tamen valeat de tanta, quantam ille ponit, distantia; nec vero nihili hac in re est Livii auctoritas, dicentis: „equites Placentiam ad hostes contendunt;" et ratio nobis habenda est Appiani, monentis: „καὶ νυκτὸς „ἐπιγενομένης, ἐς Πλακεντίαν ἀνεχώρουν (1)." Porro, quum e dictis constet, Carthaginienses in Scipionis viciniam pervenisse, manifestum est, eos inter Trebiam fere et Placentiam castra habuisse (2). Ne miremur Hannibalis celeritatem, monet Schweighaeuserus, sponte patere, iter traiecto Pado citius factum esse quam per duos dies priores, quum aptum ad triiciendum locum quaerere necesse esset (2).

In ipsa proelii descriptione Graecus et Romanus scriptor, consentientes in ceteris, dissentiunt in nomine illius, quem Hannibal, legatis Gallis audiendis quum tempus tereret, copias transmittere iusserit. Polybius eum vocat Hasdrubalem, Livius Magonem. Qua de re iudicium certum proferri non posse videtur; Livio tamen favent Coelius (3) et Zonaras (4), qui eundem nominant. In censum praeterea venit, quod in pugna

---

(1) L. l.

(2) Schweigh. ad c. 66. Arnold p. 94 putat Poenorum transitum paulo ad orientem Placentiae obtinuisse. Niebuhrius eundem longius ab hac urbe orientem versus remotum fuisse censet. Ed. Zeiss. II, 229. Sed alia eius sententia exstat in Edit. Isleri II, 84.

(3) Apud Liv. c. 47.

(4) C. 24.

ad Trebiam eodem Magone adiutore usus est Hannibal ad mandata quaedam ipsius periculo exsequenda (1).

Interim 3200 auxiliarium Gallorum, caede in castris Romanis facta, ad Hannibalem transfugerunt, qui, eos ad suas civitates mittendo, has quoque in societatem pellicere conatus est (2). Scribit Zonaras: „*καταληφθεὶς οὖν ὁ Σκιπίων κατὰ χώραν ἔμεινε, καὶ ἐμαχέσατ' ἂν, εἰ μὴ νυκτὸς οἱ Γαλάται οἱ μετ' αὐτοῦ ηὐτομόλησαν.*" Verum omnino dubium est, num, si haud coegisset necessitas, consul valde propensus fuisset ad pugnam, quum haud semel apud Polybium Liviumque legamus, eum tunc gravem ex vulnere hausisse dolorem.

Ceterum Scipio, collegam exspectandum ratus atque Gallis accolis diffidendum intelligens, ad Trebiam propius accessit, et postea eam transmisit. Numidae, statim post eius discessum ad eum retinendum missi, praedae cupiditate in vacuis castris morati, re infecta reversi sunt. Hannibal quinque millium intervallo ab hoste castra posuit. Sic consentientes ambo scriptores tradunt (3); neuter tamen id, quod praetermitti non debuerat, adiicit: inter utraque castra Trebiam interiectam fuisse, ita ut Romani in laeva ripa, Carthaginienses in dextra essent, illi fluvium ab oriente, hi ab occidente haberent (4). Melius Appianus et Zonaras: „*ποταμὸς δ' ἦν ἐν μέσῳ Τριβίας;*" et „*Καρχηδόνιοι τὸν ποταμὸν*

---

(1) Cf. Pol. III, 71. Liv. XXI, 54.

(2) Pol. c. 67. Liv. 48. Zonar. VIII, 24.

(3) Pol. 67, 68. Liv. 48.

(4) Cf. Schweigh. ad Pol. c. 68. Nieb. Ed. Zeiss. 230. Böttich. 269. Arnold 96. Von Vincke 249.

„διὰ μέσου ποιησάμενοι ἐστρατοπεδεύσαντο (1)." Et his quidem omnibus satis mihi ostendisse videor, Lachmannum errasse scribentem: „Romanos non ultra „Trebiam processisse (2)." Interea advenit Sempronius, cuius tantum res in provincia gestas tradit Livius (3). De huius copiarum itinere dissensio animadvertitur: Livius navibus, Polybius terra exercitum ductum esse scribit. Nos huic potissimum fidem habemus. Res enim quum ordine narret, primum Senatus nuntium, Tiberio missum, huiusque mandata, copiis data, Ariminum adeundi suo loco commemoravit (4); itaque magna veri specie hic addidit, Sempronium primum Romam adiisse, procul dubio ut Senatum ulteriora mandata rogaret quaereretque de iis, quae collegae accidissent, et cur ipse revocatus esset; recteque deinde eum se post iter 40 dierum cum Scipionis exercitu coniunxisse dixit (5). Livius contra minus accurate et obiter, ne dierum quidem addito numero, nec Senatus literis antea memoratis, tantum milites, in naves impositos, Ariminum pervenisse refert (6). Verum tamen in eo praestat Appiano, quod hic, idem tradens, Sempronium non iunctis copiis, sed quinque millium distantia a collega castra posuisse narrat.

Nepotem citavi, quum de pugna inter Ticinum et

(1) Appian. VII, 6. Zonar. VIII, 24.
(2) P. 93, ubi simul in Polybiano loco citando erravit.
(3) C. 49, 50, 51.
(4) Vide supra p. 53.
(5) III, 68.
(6) XXI, 51.

Padum sermo esset (1). Locus, quem volebam, est: „cum hoc eodem (Scipione) de Clastidio apud Padum „decernit (Hannibal) (2)." Non sine causa illud „de „Clastidio" dixit scriptor. Licet haec occupatio Clastidii facta sit post equestre proelium inter Ticinum et Padum, ideoque ille et in tempore, et in re quasi huic proelio Clastidium ansa fuisset, fallatur, id tamen non negligendum est, eum Clastidii momentum causae Poenorum, sic scribendo, indicasse. Scilicet proditione praefecti castellum illud Poenis traditum est horreumque fuit iis, ad Trebiam sedentibus; sed demum post illud certamen equitum, ante pugnam ad Trebiam, proditio illa facta est. Sic rem se habuisse trium reliquorum scriptorum locis constat (3).

CAPUT X.

DE PUGNA AD TREBIAM ET DE PRIMIS ROMANORUM ET CARTHAGINIENSIUM IN HISPANIA REBUS.

A. U. C. 534. A. C. N. 218.

Castra, uti vidimus, in ripa sinistra Romani, Carthaginienses in dextra metati erant. Hannibal, pugnandi cupidus, ansam certaminis circumspectabat. Neque

---

(1) P. 58.
(2) *Hann.* 4.
(3) Pol. c. 69. Liv. 48. Zonar. c. 24. Cf. von Vincke, p. 249, N. 2. Ceterum falli videtur Lachmann p. 43, dicens, Livium haec ab alio quodam, non a Polybio accepisse.

haec ei defuit. Nimirum inter Padum et Trebiam habitabant Galli, quorum, licet foedere cum Poenis iunctorum, nonnulli tamen haud infestum Romanis animum prodebant, sperantes se hac ratione ab utroque populo tutos fore. Quod Hannibali displicuit. Mox ille, 3,000 militum paratis, omnem eorum agrum populari iussit. Tum Galli, necessitate coacti, Romanorum castra adierunt horumque implorarunt auxilium. Sempronius equitatui et mille ferme iaculatoribus, ut Trebiam traiicerent et Poenos invaderent, mandavit. Hi primo fugientes, mox a suis adiuti, hostes fugaverunt, qui tamen, novis copiis firmati, pugnam restituerunt; sed Poeni in castra recesserunt, quoniam Hannibal nondum tempus proelii committendi esse iudicabat, adhuc ad universae rei dimicationem parum paratus. Sic apud Polybium (1), Livium (2), Zonaram (3) haec leguntur, quae revera ansam magno illi certamini, quod statim secutum est, dederunt; Polybii vero descriptio omnium maxime perspicua est. Ansam autem dicimus *hoc* subitum proelium, quia putamus, levi illo, qui Sempronio obtigerit, successu audaciam ei crevisse ad maiora tentanda (4). Sed quid tum uterque consul,

---

(1) III, 69.

(2) XXI, 52. Ad quem locum cf. Fabri et Alschefski, recte citantes Pol.

(3) VIII, 24: „*ὑπὸ φιλοτιμίας, καὶ ὅτι* (scil. *ὁ Λόγγος*) *τινὰς κατατρέχοντας τὴν χώραν ἐκράτησεν.*"

(4) Nec tamen sequor Niebuhrium Ed. Zeiss. II, 230, qui Hannibalem hac incursione hostem incitasse eique specie tantum victoriam concessisse scribit. Hannibalis enim consilium in primis fuisse apparet Gallos ob dubios animos castigare; iactura autem ei idcirco maior allata est quam Romanis, quod milites eius praeda graves erant.

tum Hannibal secum de rerum gerendarum ratione reputaverint, ex iisdem scriptoribus patet. Sempronius ardenter pugnam optabat, quum et, aegro collega, praecipuas ipse partes acturus sibi videretur, et gaudio ob eventum illum, de quo vidimus, exsultaret Romanisque dedecori esse arbitraretur, si exercitus consulares ignavi sederent; praecipue autem quum comitiorum tempus appeteret. Scipio contra tempus exspectare malebat, quo militis vires crevissent, et Galli pro levitate sua rursus novi quid moliti essent, ipseque ex vulnere convaluisset; quare haud scio an hostem recte noverit, intellexeritque, eum, nisi statim de summa rerum decerneretur, incertum fore, quo se verteret. Hannibalem tandem multa movebant, ut quam primum acie dimicare cuperet: Gallorum societate Poenus uti volebat: diutius in horum terra nolebat commorari, ne nimis importunus iis fieret: Romani nondum satis exercitati erant: Publius, optimus e duobus ducibus, proelio interesse non poterat: ipse sociis et militibus magno aliquo facinore edendo animos addere cogitabat: Sempronii ingenium ferox ac imprudens norat: copias in hiberna ducere et Romanos ex his regionibus removere properabat (1). Solum igitur Sempronium a parte Romanorum pugnae auctorem habendum esse intelligitur e consulum cogitationibus, quas attulimus, idque scriptorum testimonia confirmant (2). In descriptione pugnae, ad Trebiae ripam dextram commissae, nullum ferme discrimen occurrit apud eos, qui fusius de ipsa

(1) Pol. 70. Liv. 53. Zon. l.l., etsi breviter more suo. Nieb. Ed. Zeiss II, 229, sqq.

(2) Flor. II, 6. Eutrop. III, 9. Oros. IV, 14.

egerunt. Hannibal ope insidiarum victoria potiri conatus est; locum aptum inter utraque castra invenit, ibique Magonem cum 1000 equitibus et 1000 peditibus noctu collocavit. Ad hostes lacessendos Numidas equites Trebiam transgredi iussit, quibus ad certamen elicientibus et mox refugientibus illi amnem traiecerunt. Tum Hannibal aciem instruxit. Romani vero, nil tale exspectantes, porro impransi et ob fluvii quoque transitum gelu rigentes, haud diu pares fuerunt Carthaginiensibus, cibo potuque antea refectis, ignibusque et oleo calefactis et unctis. Terrorem Romanorum auxerunt elephanti et Magonis copiae, ex insidiis ortae. Ita mox ingentem cladem passi sunt Romani: 10,000 conferto agmine Placentiam adierunt; nonnulli vestigia illorum secuti, reliquorum plurimi trucidati sunt.

Haec est summa eorum, quae uberius exposita sunt a Polybio et Livio (1), in quibus quae reperitur discrepantia, ea, ut non maxima est, ita huc redit. Primum Polybius dicit, Romanorum peditum fuisse ad 16,000, sociorum ad 20,000 (2); Livius, 18,000 Romanorum, Latinorum 20,000 (3). Horum in concordiam redigendorum irriti videntur conatus. Quod Drakenborchius suspicatus est, Pobybium 300 equites, cuique legioni addi solitos, exclusisse; Livium vero eos adiecisse, eumque, rotundum numerum ponere quum cuperet, 18,000 pro 17,200 scripsisse (4),

(1) III, 71—75. XXI, 54—57.
(2) C. 72.
(3) C. 55.
(4) Cf. Drak. ad Liv. l. l.

hoc tum demum probabile fore ipse vir doct. vidit, si inter utrumque consensio pariter deesset in numero sociorum; in quo quidem haereas necesse est, etiamsi a Romanis, posito numero 17,200, difficultatem tibi amovisse videaris. Altera differentia spectat elephantos, in hoc proelio absumptos, qui, Polybio teste, omnes, excepto uno, ut vero Livius ait, prope omnes perierunt (1). Equidem haec neque idem significare puto, et Livium sequor, qui accuratius deinde scribit, in Apennini transeundi conatu septem iterum absumptos esse (2) tandemque unum superfuisse, quo Hannibal postea per paludes vectus sit (3), et sic post hanc pugnam pugnatam octo servatos esse indicat. Denique uberior est Livius in describendis iis, quae ad Romani exercitus reliquias pertinent. Polybius enim modo de decem millibus, qui Placentiam se contulerint, et de reliquorum pluribus occisis loquitur; neque ea reticet Livius, sed addit, alios in castra pervenisse atque a Scipione Placentiam, deinde Cremonam ductos esse. Atqui haec magnam veri speciem prae se ferre nemo infitias ibit: mirum enim fuisset, si nemo sua castra, solitam militis sedem, cogitasset. Assentitur Appianus (4). Zonaras universe „'Ανοχὴν, ait, οὖν „ἄσπονδον ποιησάμενοι πρὸς τὴν συμμαχίδα σφῶν ἑκάτεροι „ἐχώρησαν, κἀν ταῖς πόλεσιν αὐτῶν ἐχείμαζον (5)."

---

(1) Pol. c. 74. Sic quoque Zonar. VIII, 24. Liv. c. 56. Vid. infra.

(2) C. 58.

(3) Liv. XXII, 2.

(4) VII, 7.

(5) VIII, 24.

Quodsi, his de Polybio et Livio animadversis, ceterorum testimonia conferimus, Zonaram apparet, summatim rem exponentem, omnia utriusque praecipui scriptoris narrationi congruenter tradere. Sed ab his nonnihil recedit Appianus. Primum enim hic nihil nos docet de consulum cogitationibus, porro, quum pro more suo multus sit in pugnae descriptione, non debuerat silentio praetermittere ansam proelii, agri nimirum Gallici populationem, neque insidiarum locum, a Magone occupatum, cuius profecto opportuno adventui victoria magnam partem tribuenda est. Praeterea in duos incidit errores graves; nam et *huic* certamini Scipionis vulnus tribuit (1), et talia scripsit, quae nec verisimilia sunt, nec cum Polybio Livioque conciliari possunt: „*καὶ* (scil. *οἱ Ῥωμαίων πεζοὶ*) *τοὺς πε*-„*ζοὺς* (*Καρχηδονίων*) *ἐνέκλινον ἤδη* (2)." Talia, ut opinor, in primis graves accusationes huius scriptoris pepererunt (3): de ceteris enim rebus, quas hoc loco narrat, v. c. de instruenda acie, non dissentit, de elephantis omnino consentit cum Livio: quae dubites an ab utroque e Fabio ducta sint? Non igitur magnopere laudandus videtur Beckerus, qui, ut saepius, ita hîc quoque Appianum, reiectis ceteris, unice sequitur (4).

---

(1) Vid. supra p. 58.

(2) Appian. VII, 6, 7.

(3) Vid. v. c. von Vincke, p. 70, 71, ubi tum alia, tum haec occurrunt verba: „Jede kürzere Schlachtbeschreibung „von ihm, z. b. die an der Trebia, ist wegen ihrer „Dürftigkeit unverständlich, jede längere aber ein tactisches „Chaos."

(4) Vid. von Vincke, p. 249, 50, ubi Beckerus reprehenditur. Lachm. 69.

E reliquis, quos memorare iuvat, Nepos sic habet: „Tertio idem Scipio cum collega Tiberio Longo apud „Trebiam adversus eum (Hannibalem) venit. Cum „his manum conseruit: utrosque profligavit (1)." Haec ideo minus placent, quod inde utriusque consulis operam parem fuisse efficias. Florus vero (2): „Tunc, inquit, „callidissimi hostes, frigidum et nivalem nacti diem, „quum se ignibus prius oleoque fovissent (horribile „dictu) homines a meridie et sole venientes nostra „nos hieme vicerunt." Haec prorsus vera, neque illa „horribile dictu" cum Dukero satis frigida dixerim (3). Frigidus enim exclamationis usus est, ubi ea non apta est; verum hoc loco, si eam ad posteriorem sententiae partem referimus verbaque „nostra hie-„me" cogitamus, valde apta est, prolata a regionis frigidioris cive, qui summopere miratur, Afros, calidissimae regioni assuetos, se melius quam indigenas a frigore defendisse in horum terra, eosque idcirco ibi vicisse. Denique Orosius „pugnatum, inquit, „deinde eodem consule (Scipione) ad flumen Tre-„biam, iterumque Romani pari clade superati sunt. „Sempronius consul, cognito collegae casu, a Sicilia „cum exercitu rediit, qui similiter apud eundem fluvium „congressus, amisso exercitu, pene solus evasit (4)." Hîc plures errores quam sententiae. Nam et pugna ad Trebiam, quae una fuit, seiungitur in duo certa-

(1) *Hann.* 4.
(2) Vid. supra p. 66.
(3) In Not. ad l. l.
(4) IV, 14.

mina, alterum Scipione, alterum Sempronio duce commissum, et Sempronii adventus tum in alienum tempus coniicitur, tum perperam ex huius consulis voluntate, non e Senatus mandatis (1) repetitur, et res ita narratur, ut neminem fere cladi superstitem fuisse credas.

Accepta clade, Sempronius, ut e Polybio patet, Senatum falso nuntio decipere conatus est, cui hic primum fidem habens, mox tamen, signis haud dubiis edoctus, verum proelii eventum intellexit (2). Licet talis nuntius, ab eo missus, qui proprie cladis auctor dici meretur, nihil habet quod mireris, eum tamen haud memoravit Livius, nimio fortasse Romani nominis studio abreptus (3).

Dum haec in Italia gerebantur, Cn. Corn. Scipio, a fratre praemissus (4), cui adfuissent 22,000 peditum et 2200 equitum, nisi P. Scipio ὀλίγους (5), exiguas copias (6), in Italiam reduxisset. Hoc igitur tempore Cneus prope Emporias, urbem geminam, muro divisam (7), in Hispaniam venerat. Populos, iuxta oram habitantes, usque ad Iberum partim vi, partim persuasione subegit, deinde in mediterranea profectus, eodem modo

---

(1) Vid. p. 33.

(2) C. 75.

(3) Polybium sequitur Bötticher 275. Niebuhrius ambobus consulibus fallaciam tribuit. Ed. Zeiss II, 242; in Edit. vero Isleri II, 86 res melius narratur.

(4) Vid. supra p. 24.

(5) Pol. III, 56.

(6) Liv. XXI, 32.

(7) Liv. XXXIV, 9.

oppida in potestatem redegit; circa Cissim (1) cum Hannone (2) pugnavit, ac victor eum et Indibilem, Hispanorum regem, vivos cepit. Quo facto omnes cis Iberum populi societatem cum eo iunxerunt (3). Interea Hasdrubal socios navales Romanos, per agros cis Iberum negligenter palantes, aggressus, plures eorum interfecit, ceteros ad naves compulit. Tum ille Carthaginem Novam rediit; Cn. Scipio autem Tarraconem hiematum abiit.

Et haec quidem, omissa ab Appiano, strictimque exposita in Orosii (4) et Zonarae (5) libris, ita persecuti sunt Polybius et Livius (6), ut Livii tamen maior sit ubertas. Hanc Livii ubertatem, sicut alibi, ita hîc improbat Beckerus (7), eiusque fidem valde suspectam habet. Melius iudicare videntur Lachmann, Bötticher et von Vincke, opinantes, breviora apud Polybium, quaeque, eo iudice, minoris momenti erant, e Livio supplenda esse. Neque enim dubitandum est de Ilergetum vicinorumque Ausetanorum sedibus (8) inter Iberum et Pyrenaeos sitis; neque Livius pugnantia scripsisse dicendus est, quod primum Scipionem, praesidio modico Tarracone

---

(1) Apud Pol. Κίσσα. Cf. Afschefski ad Liv. l. l.

(2) Eum perperam, ut videtur, Zonaras vocat „Βαννῶνα." Cf. VIII, 25.

(3) Cis Iberum intelligendum est ratione Romae. Cf. Schweigh. ad Pol. III, 76.

(4) IV, 14.

(5) VIII, 25.

(6) Pol c. 76. Liv. c. 60, 61.

(7) Apud Lachm. 30.

(8) Liv. XXIX, 2; XXXIX, 56. Lachm. 30. Bött. 277. In primis von Vincke 291, N. 2.

relicto, Emporias cum classe rediisse, postea autem eum, hibernis excitum, Tarraconem in hiberna reversum esse tradiderit. Sic enim explicari haec, specie tantum contraria, possunt: primum Romani ducis consilium fuerat Emporiis hibernare, sed, necessitate iterum bellandi coactus, rebus peractis, Tarracone hiemare maluit, ubi iam antea parti saltem exercitus hiberna ab eo decreta erant. Denique non multum valet Beckeri dubitatio, num tot res tam paucis mensibus peragi potuerint. Nam etiamsi parvum tantum temporis spatium ponamus, quale tamen illud fuisse nondum probatum est, quum de una urbe per triginta dies obsessa legamus (1), pateatque e Liviana narratione, magnam hiemis partem expeditionibus illis absumptam esse (2); sed si temporis brevitati non repugnemus, quis dicat, quodnam tempus, fortuna favente, necessarium sit ad res quasdam gerendas; quis nescit, parvo dierum numero multa perfici posse, animo si dux, viribus si copiae valent?

CAPUT XI.

DE REBUS, QUAE ANTE PUGNAM AD TRASIMENUM LACUM ACCIDERUNT.

A. U. C. 534, 535. A. C. N. 218, 217.

Sempronius, cladis nuntio Romam perlato, mox ipse adfuit ad comitia habenda. Consules sunt creati Cn.

(1) Liv. 61.
(2) Lachm. l. l.

Servilius et C. Flaminius, qui iam ante consulatum gesserat (1). Hîc, priusquam pergamus, animadvertendum, nos in Polybii silentio quaedam potissimum Livio accepta referre. Duas volumus Hannibalis expeditiones, quarum altera infelicem, altera felicem eventum habuit: porro conatum eius ante hiemem per Apenninum e Gallorum regione in Italiam penetrandi, qui non successit, et pugnam, aequo Marte pugnatam, inter Hannibalem, Apennino degressum, atque Sempronium, a Roma reversum (2). De ceteris si quaeritur veterum monumentis, primam expeditionem etiam apud Zonaram reperimus (3), qui tamen, quod vix credibile est, eo tempore Romanos commeatu abundasse tradit. Polybianus enim locus „Ῥωμαίους χορηγεῖσθαι δὲ τοῖς „ἀναγκαίοις ἐκ θαλάττης ἀνὰ τὸν Πάδον ποταμὸν" (4) et Livius his verbis „omnes igitur clausi undique commea„tus erant, nisi quos Pado naves subveherent (5)" diserte contrarium indicant. Ceterum ratio, qua ipsam rem narrat Zonaras, parum accurata est; nam ex eo facile elicias, Poenos multo plura oppida aggressos esse. In eadem expeditione vulneratus est dux Carthaginiensium; huc igitur pertinent Zonarae verba „καί ποτε τῷ ἱππικῷ ὑπὸ „τοῦ Λόγγου νικηθεὶς ἐτρώθη (6)," a Livio eo discrepantia, quod hic consuli Scipioni id proelium tribuere vide-

(1) Pol. l. l., coll. II, 32. Liv. XXII, 57 et 63. Zonar. VIII, 25, ubi tamen perperam vocabulum „αὖθις," quod ad τὸν Φλαμίνιον pertinet, scriptum est post τὸν Γέμινον.

(2) XXI, 57, 58, 59.

(3) Ann. VIII, 24.

(4) III, 75.

(5) C. 57.

(6) L. l.

tur (1). Quae Appiani quoque videtur sententia, hanc, non alteram expeditionem memorantis (2); huc praeterea Orosii locus referendus „In eo tamen bello etiam Han-„nibal sauciatus est (3).“ Quaerentibus nobis, cur Carthaginienses Placentiam et Cremonam non adorti sint, magis Niebuhrii (4) quam Arnoldi (5) sententia placet. Narratio de Apennino legitur etiam apud Zonaram (6) et Orosium (7), quorum hic: „Hannibal, inquit, postea „cum in Etruriam primo vere transiret, in summo „Apennino tempestate correptus, biduo continuo im-„mobiliter cum exercitu nivibus conclusus et onustus, „obriguit: ubi magnus hominum numerus, iumenta „complurima, elephanti pene omnes frigoris acerbitate „perierunt.“ Quo de loco hoc monendum, scriptorem in tempore definiendo non satis accurate versatum esse, quum de secundo itinere in Etruriam, revera peracto, iisdem verbis „primo vere“ utatur. Zonarae locus difficultate non omnino caret „Ἐς δὲ τὴν „Τυρσηνίδα τῷ Ἀννίβα πορευομένῳ ὁ Λόγγος ἐπέθετο, „χειμῶνος πολλοῦ γενομένου· πεσόντων δὲ ἀμφοτέροις πολ-„λῶν, ὁ Ἀννίβας ἐς τὴν Λιγυστικὴν ἐλθὼν ἐνδιέτρεψεν.“ Haec ad irritum illum Hannibalis conatum pertinere

(1) Cf. eius cap. 57 et Drakenb. ad h. l.
(2) VII, 7.
(3) IV, 14.
(4) Ed. Zeiss. 232. Ed. Isleri II, 86: „Er griff Placentia „nicht an, weil es für ihn von keiner Wichtigkeit war, „und er stets wusste, was nothwendig war.“
(5) III, 101: „The season did not allow him to besiege „Placentia and Cremona.“
(6) VIII, 24.
(7) IV, 14.

inde patet, quod in sequentibus diserta itineris posterioris mentio fit (1); eadem vero num sic accipienda sint, ut de pugna quadam agi videatur, qua Sempronius Hannibalem ab Apennini transitu arcere voluerit (2), vehementer dubito. Quum enim scriptor universe potius quam accurate loquatur, illud fortasse intelligere licet, quod Livius expressit: Hannibalem transitum tentasse, et, quum hunc fieri non posse animadvertisset atque reversus esset, pugnam conseruisse cum Sempronio; tunc ambos recessisse (3). Hanc si probamus interpretationem, optime hic consentit locus cum Liviano, et loquitur Zonaras hîc de proelio illo, quod quarto loco a Romano, silente Polybio, relatum esse animadvertimus. Nihil itaque suadet, ut haec omnia suspecta habeamus, et Beckeri amplectamur sententiam: dubitandum esse de omnibus, quae a solo Livio exponuntur (4). Verum nos, adhibito Appiani, Zonarae et Orosii partim consentiente testimonio, Polybium hisce, vel e Fabio, vel e Coelio haustis, supplendum esse prorsus existimamus.

Interea haud quieverunt Romani. Prodigia procurarunt, praesidia in locis collocaverunt opportunis, auxilia ab Hierone petierunt et impetrarunt, e sociis auxiliares conscripserunt, delectum habuerunt (5). Vere appetente, C. Flaminius, legionibus Sempronii et praetoris Atilii acceptis, Arretium, Cn. Servilius cum

---

(1) Cf. c. 25 init.

(2) Quemadmodum interpretantur Bötticher 276 et Lachm. 114.

(3) Cf. von Vincke, 251, N. 1.

(4) Lachm. 30.

(5) Pol. III, 75. Liv. passim XXI, 57, sqq. Appian. VII, 8.

Scipionis copiis Ariminum se contulit. Ita Polybius (1) et Zonaras (2), nec, quemadmodum antea putavi, impedimento sunt Livii verba, quae initio cap. 63 legimus. Haec enim illis iuncta nil aliud indicant, nisi ambos consules omnibus militibus diem ad conveniendum Ariminum edixisse. Servilius hîc mansit, Flaminius inde Arretium in suam provinciam concessit, quum apparuerat, nequidquam eos spe duci in Liguribus cum Poenis dimicandi (3). Livii autem cap. illud magnam partem constat descriptione odii Patrum in Flaminium. Odium hoc, ortum ex certaminibus, quae ei et tribuno plebis (4), et consuli cum Senatu fuerant (5), creverat auxilio, quod Q. Claudio (6), legem invitis Patribus ferenti, tulerat. Ob haec ille metuens, ne auspiciis ementiendis aliisque impedimentis sibi morae necterentur, ante idus Martias privatus Roma profectus, Arimini magistratum iniit. De his omnibus Polybius nihil, Livius multa retulit. Ceterum Flaminius ob neglectum morem nihil molestiarum passus est nisi vanam Patrum iram, eorumque accusationem insolentiae (7).

---

(1) C. 77.

(2) C. 25.

(3) Cf. Zonar. 25. Liv. h. l. et XXII, 2, 3. Drakenb. ad Liv. XXI, 63.

(4) Pol. II, 21. Cic *de Invent.* II, 17. *In Brut.* 14.

(5) Plut. *in Marc.* c. 4.

(6) De quo vid. Drak. ad Liv. c. 63.

(7) Arnold III, 103. Niebuhrius, qui consuli defendendo multam operam navat, has accusationes vocat „Beschuldi- „gungen, welche ganz lächerlich sind." Ed Zeiss II, 234. In Editione Isleri II, 87 acrius sic scriptum est: „Eine

Hannibal, in Gallia Cisalpina hibernans, captivos Romanos satis severe, socios magna humanitate tractavit, iisque domum redire permisit; ipse, Gallorum levitatem reformidans, coma adscititia et vestibus variis utendo, se ab insidiis munire studuit (1). Evidentius autem necessitatem huius curae expressit Livius quam Polybius. Similia de hac ducis prudentia leguntur apud Appianum (2) et Zonaram (3), quorum hic insuper addit, Hannibalem tunc sermone usum esse alias alio, eum enim plures novisse, ipsumque Latinum: quod merito verisimile esse dicit Bötticher, quoniam huius notitia Poeno multum profuerit ad populos Italiae sibi conciliandos (4). Appianus vero perperam haec statim post pugnam inter Ticinum et Padum memoravit; unde factum, ut, aliam causam illius dissimulationis quum quaerere deberet, hanc diceret cupiditatem Hannibalis suam apud barbaros famam augendi. Vere ineunte, Hannibal, viarum, quae in Etruriam ducebant, notitia impetrata, editisque copiarum ordinandarum mandatis, e Gallia Cisalpina, ubi eum hiemasse scribit Polybius, profectus est (5). Quod autem ad Livium attinet, hunc arbitror aut omisisse, Poenum post discessum in Ligures (6) in Galliam rediisse (7), aut vocem Liguriam

„solche Beschuldigung ist unleidlich, denn Hannibal hatte „offenbar nicht auf das Ende der Lateinischen Ferien ge„wartet."

(1) Pol. III, 77, 78. Liv. XXII, 1.
(2) VII, 6.
(3) VIII, 24.
(4) P. 278, N. 3.
(5) C. 77.
(6) C. 59 fin.
(7) XXII, 1, ibique Drakenb.

latiore sensu intellexisse (1). Ipsum iter, licet id Polybius et Livius pluribus (2), Zonaras, Appianus et Orosius paucis (3), Nepos vero et Eutropius brevissime (4) commemorent, non tamen admodum perspicuum est. Verisimilem opinionem de eo proferre conabimur.

Recentiorum investigatio docet, duas vias e Gallia in Etruriam patuisse: alteram a Bononia, alteram a Mutina per Apenninum Florentiam ducentem (5). Illa longior et commodior; haec brevior et minus trita. Hanc autem praetulit Hannibal, teste Polybio, ut Flaminium ipsa novitate incepti percelleret, nec periculo subiti impetus a parte hostium premeretur. Praeter Polybium, qui „τὰς μὲν ἄλλας, ait, ἐμβολὰς τὰς εἰς „τὴν πολεμίαν μακρὰς εὕρισκε (Ἀννίβας) καὶ προδήλους „τοῖς ὑπεναντίοις· τήνδε διὰ τῶν ἑλῶν εἰς Τυῤῥηνίαν φέ„ρουσαν, δυσχερῆ μὲν, σύντομον δὲ καὶ παράδοξον φανη„σομένην τοῖς περὶ τὸν Φλαμίνιον" et Livium, qui „quum „aliud, inquit, longius, ceterum commodius, ostende„retur iter, propiorem viam per paludem petit, qua „fluvius Arnus per eos dies solito magis inundaverat," nobis adest Strabonis testimonium. Hic, postquam docuit, primam illarum viarum per Ariminum ducere, sic pergit: „Βελτίων μὲν οὖν ἡ ἐπ' Ἀριμίνου· „ταπεινοῦται γὰρ ἐνταῦθα ἱκανῶς τὰ ὄρη· φρουρουμέ„νων δὲ τῶν παρόδων τούτων ἐπιμελῶς, ἠναγκάσθη

(1) Ut opinatur Lachm. 77.
(2) III, 78, 79, 80, 82, 83. XXII, 2, 3.
(3) VIII, 25. VII, 9, 10. IV, 15.
(4) *Hann.* 4. III, 9.
(5) Nieb. Ed. Zeiss 235. Bött. 279. Arnold III, 104. Lachm. 90, N. 1. Proprie tertia etiam erat via, quae tamen hîc in censum non venit. Vid. Nieb. Ed. Isleri II, 88, sqq.

„(Ἀννίβας) τὴν χαλεπωτέραν ἑλέσθαι" (1). Hanc igitur viam occidentalem quum praetulerit Hannibal, hoc assecutus est, ut tum per eiusmodi tractum tenderet, quo eum venturum esse hostes non exspectabant, tum maxime recederet a consulibus, qui Arretii et Arimini sedebant, tum via uteretur, ipsi, qui in Galliae parte, Liguribus proxima, hiemarat brevissima (2). Viam, a Mutina ordientem, in quam se contulerant Poeni (3), eos per paludes Pistoriam duxisse, Polybium legens, credas: at vero quum vix probabile sit, tantas inter utrumque oppidum, quantas scriptores veteres memorant, paludes fuisse (4), potius existimem, eos haud procul a Mutina ad occidentem deflexisse, ita ut Apennini transitus circiter inter Macrae Tarique fontes fuerit, indeque exercitus Lucam processerit, atque, inter hanc urbem et Faesulas, paludes repererit. Quam in sententiam ut adducar, faciunt multa. Primum consentit ea cum Polybio, qui in ipso Etruriae introitu paludes inventas esse tradit „τὴν δὲ διὰ τῶν „ἑλῶν εἰς Τυῤῥηνίαν φέρουσαν ἐμβολὴν (5); διαπεράσας δὲ „παραδόξως τοὺς ἑλώδεις τόπους, καὶ καταλαβὼν ἐν Τυῤ- „ῥηνίᾳ τὸν Φλαμίνιον στρατοπεδεύοντα πρὸ τῆς τῶν Ἀῤῥη- „τίνων πόλεως, τότε μὲν αὐτοῦ πρὸς τοῖς ἕλεσι κατεστρα- „τοπέδευσε (6); συνελογίζετο (Ἀννίβας), διότι παραλλάξαν-

(1) Strabo, Ed. Siebenkees, V, 227.

(2) Vid. supra p. 78.

(3) „Hannibal ging wohl erst nach Modena, um die „Römer zu taüschen, und wandte sich dann rechts." Niebuhr Ed. Isleri II, 89.

(4) Cf. Lachm. 90.

(5) Vid. supra p. 79.

(6) III, 80.

„ τος αὐτοῦ τὴν ἐκείνου στρατοπεδείαν, καὶ καθέντος εἰς „ τοὺς ἔμπροσθεν τόπους," κ. τ. λ. (1). Porro sic conciliatur optime cum Livio „ qua fluvius Arnus per eos dies „ solito magis inundaverat (2)"; et „ ubi primum in „ sicco potuit, (Hannibal) castra locat (3)"; uti etiam cum Orosio: „ Hannibal — arripuit propiorem, sed pa- „ lustrem viam: et tum forte Sarnus late redundans, „ pendulos et dissolutos campos reliquerat (4)", cuius quidem loco, qui Livii imitationem olet, „ Sarnus" in „ Arnus" mutandum videtur (5). Similiter denique scribit Zonaras „ ὁ γὰρ 'Αννίβας, συντομωτέραν τραπόμενος, „ δυσόδοις ἐνέτυχε." Quibus omnibus egregie simul refutantur qui, Strabonis auctoritate, paludes illas ad Padum sitas fuisse contendunt (6). Minora, etsi singula alicuius momenti, argumenta, eam, quam dixi, viam comprobantia sunt: silentium apud Polybium et Livium de transitus Apenninorum difficultate, quam, alium locum cogitantes, praetermittere haud potuissent: palustris olim totius in Arni ripa dextra region natura (7): viae huius multo maior quam alterius orientalis viae brevitas. Denique licet Polybium paludes non solum in aditu Etruriae, sed etiam prius inveniri credidisse ex eius locis, supra citatis, efficias, hoc nobis

---

(1) L. l.

(2) Cf. l. l.

(3) XXII, 3.

(4) IV, 15.

(5) Aliter vir quidam doctus ap. Lachm. 89.

(6) In quibus Freinshemius in Supplem. ad Liv. LXII, 52 et Beckerus, de quibus vid. Lachm. 89. Horum sententiam improbat Böttieher 279.

(7) Nieb. Ed. Zeiss. II, 235.

impedimento non est, cogitantibus, eum regionem inter Macram et Arnum a Liguribus, non ab Etruscis, habitari dixisse, Pisasque demum primam horum urbem vocasse (1); nec proinde Carthaginienses ante in Etruriam delatos esse censuisse, quam Faesulis adessent. Ceterum non tenue argumentum in Italorum, certe in Tuscorum, est iudicio, quorum nemini ullum de via dubium esse affirmat Niebuhrius (2). His perpensis probamus Nepotem, scribentem „Inde (Hannibal) per „Ligures Apenninum transiit, petens Etruriam" (3).

Poenus, itinere quatuor diebus ac tribus noctibus peracto, quum multos homines, multa iumenta et alterum oculum amiserat, in Etruria castra posuit (4). Quod enim Nepos l. l. tradit: „Hoc itinere adeo „gravi morbo afficitur oculorum, ut postea nunquam „dextero aeque bene usus sit;" id pugnare cum ceterorum de oculo testimoniis et reiiciendum videtur (5). Iam Flaminius Arretium advenerat, cuius consiliis animoque et regionum situ aliisque diligenter exploratis, Hannibal temerarium ducem agitare et irritare constituit (6); interim exercitus ipsius, Gallis Liguribusque multis adscitis, valde auctus erat (7). Itaque Romana castra a laeva praeteriens, ultraque ea progressus, agros vastando et urendo, regionem percurrit, quae

(1) II, 16.
(2) Nieb. Ed. Isleri II, 88.
(3) *Hann.* 4.
(4) Pol. Zonar. Liv. Oros. l. l.
(5) Duker. ad Liv. c. 2 et van Staveren ad Nep. l. l.
(6) Pol. III, 80. Liv. XXII, 3. Zonar. VIII, 25.
(7) Nieb. Ed. Isleri II, 89.

est inter Faesulas et Arretium (1), animo volvens Romam versus ducere per eam viam, quae, Arretio venienti ad laevam Cortonam et illi adiacentes montes, ad dextram Trasimenum lacum (2) habens, inde se in magnum campum porrigit, inter Perusiam et Spoletium situm, quem transit quoque via, ab Arimino Romam ducens (3). Hîc memorare lubet Zonarae locum: „ὀψὲ „δ' οὖν πρὸς τὸ 'Αρίτιον ἐλθιών, καὶ εὑρὼν ἐκεῖ τὸν Φλα„μίνιον, κατεφρόνησεν αὐτοῦ, καὶ μάχῃ μὲν οὐ συνέβαλε „(τὸ γὰρ χωρίον ἀνεπιτήδειόν οἱ ἐδόκει), πεῖραν δὲ αὐτοῦ „ποιούμενος ἔκειρε τὴν χώραν· κἀν τούτῳ ἐπεκδραμόντων τῶν „Ῥωμαίων, ἐπανήγαγεν, ἵνα φοβεῖσθαι δόξῃ" (4), quo de loco duo monenda. Alterum, e duabus, cur Hannibal ad Arretium pugna abstinuerit, causis reticeri eius consilium alio eoque ulteriore loco dimicandi, sicuti revera accidit; alterum, verba κἀν τούτῳ, κ. τ. λ. manifestum continere errorem, uti patet, collatis iis cum reliquorum, quos attulimus, locis, ubi semper *processisse* Carthaginienses narrantur. Apud Livium recte, me iudice, errorem indicavit Lachmann (5) in his verbis: „Et, laeva relicto hoste, Faesulas petens, „medio Etruriae agro praedatum profectus", meritoque culpam librariis tribuit; non enim verisimile est, scriptorem, qui in tota hac narratione Polybium accurate plurimumque sequitur, in re tam facili a vero aber-

---

(1) Vid. scriptores, pag. 82, N. 6 laud. porro Pol. c. 82. Appian. VII, 9.

(2) De eius nomine cf. Schweigh. ad Pol. III, 82 et vero Alschefski ad Liv. XXII, 4.

(3) Nassau, *Oudítalie*, p. 28.

(4) VIII, 25.

(5) P. 88.

rasse. Idem legendum esse existimat: „Et, laeva re„licto hoste, a Faesulis per patentia (p̄patentia), medio „Etruriae agro, rel." Et sic utique patet, Poenos Faesulis ad meridiem iter continuasse, nec Livii deest cum prioribus Polybiani capitis 82 verbis convenientia. Porro falli videtur Appianus (1), qui h. l. de Centenio praefecto agens eum ad Carthaginienses retinendos a Romanis missum esse dicit, privatumque virum vocat, et ei 8,000 militum tribuit, quae omnia aliter narrant Polybius et Livius (2).

Interea Flaminius, se ab hoste spretum esse credens, et aegre agros vastatos videns, nonnullis frustra adventum Servilii exspectandum esse urgentibus, castra movere iussit. Plurimi scriptores hic famam tradunt de Flaminio, deorum omina contemnente (3); quid, quod nonnulli magnam cladem, quae mox secuta est, huic contemptioni tribuunt (4)? Aegre temeritatis absolvi potest Flaminius, quod, non exspectato collega, suo ipse consilio rem gerere constituerit; quamquam nonnulli eum quodammodo excusare conantur, ponentes ei Hannibalem visum esse non statim pugnaturum, quippe qui ad Arretium proelium detrectasset (5). Quidquid est, agmen incedere coepit, et consul brevi post, quantum praestitisset castra non movere eventu didicit.

(1) VII, 9.

(2) III, 86. XXII, 8. De ipsa re infra plura.

(3) Coelius ap. Cic. *de Nat. Deor.* II, 3 et *de Divin.* I, 35. Liv. XXII, 3. Flor. II, 6. Val. Max. I, 6, 6. Plut. *in Fabio* c. 3.

(4) Signiferorum timore signa convelli non potuisse putat Nieb. Ed. Zeiss. II, 237.

(5) Hi citantur a Bött. 281, N. 1, quibus add. Arnold III, 105.

CAPUT XII.

DE PUGNA AD LACUM TRASIMENUM ET DE CLADE CENTENII. Q. FABIUS MAXIMUS PRODICTATOR CREATUR.

A. U. C. 535. A. C. N. 217.

Superiore capite ad locum pugnae accessimus, de qua nunc videndum. Egregie Polybius describit illam convallem, ab utroque latere tumulis clausam, cuique a fronte collis imminebat, a tergo lacus erat cum via perangusta. Hinc suam descriptionem hausit Livius (1). Copias Hannibal apte disposuit, ita ut ad hostes partim claudendos, partim undique aggrediendos valerent (2). Hîc minus recte Appianus: „ψιλοὺς δὲ καὶ ἱππέας ἐς φάραγγα „ἀποκρύψας, ἐστρατοπέδευεν" (3). Nam nec in convalle locatae, nec iunctae uno loco erant hae partes exercitus. Vesperi Flaminius pervenerat ad lacum, ubi loca illa insidiis nata. Postridie primo diluculo agmen duxit in angustias, et quidem, auctore Livio, inexplorato. Non igitur operam nos ponere oportet in consule excusando, coniicientes, eum Poenorum agmen persequi et a tergo adoriri in animo habuisse (4), cui quippe con-

(1) Vid. Arnold III, 106, qui tamen descriptionem Polybianam non plane cum solo consentire contendit. Cf. etiam Nieb. Ed. Zeiss II, 237, 38. Ed. Isleri II, 89, 90.
(2) Pol. III, 83. Liv. XXII, 4. Zonar. VIII, 25.
(3) VII, 10.
(4) Sicut putat Arnold III, 107.

iecturae nec Polybius, nec ceteri favent. Simul ac maior Romanorum pars ex angustiis in convallem pervenerat, Hannibal signum undique invadendi dedit. In huius pugnae initio enarrando nonnihil a ceteris differt Zonaras, quo auctore, Romani non crastino mane, sed ipso adventus die sero Hannibalem, colli insidentem, viderunt; eademque vespera angustias intrarunt, ibique quieverunt, quae sane temeritas adeo omnem modum superasset, ut ea vix credibilis nobis videatur. Porro ipsius certaminis initium sic nobis exponit: „καὶ ὑπὸ „μέσας νύκτας ὑπὸ καταφρονήσεως αὐτοὺς ἀφυλάκτως καθεύ„δοντας πανταχόθεν ὁμοῦ περιέσχον οἱ Καρχηδόνιοι, καὶ „πόρρωθεν ἀκοντίοις καὶ σφενδόναις καὶ τοξεύμασι τοὺς μὲν „εὐναζομένους ἔτι τοὺς δὲ τὰ ὅπλα λαμβάνοντας ἔκτεινον, „αὐτοὶ μή τι δεινὸν ἀντιπάσχοντες" (1). Hic igitur, quum pugnam sub mediam noctem orsam esse existimaverit, rem quidem haud absurdam tradidit; attamen necessitas huius rei non apparet, quoniam Hannibal hostem tam bene clausum habuit, ut eius vires metuere ipsi non opus esset. Ceterum eatenus Zonaras et Livius consentiunt, quatenus hic Romanos sine exploratoribus profectos esse, ille sine excubiis dormivisse, ambo itaque parum prudentiae eos adhibuisse indicant.

Quod ad ipsam pugnam attinet, de ea non multum dissentiunt scriptores (2); unde Lachmannum mireris, statuentem (3), Livium pugnae descriptionem alii potius quam Polybio debere, licet quaedam, nonnihil diversa,

---

(1) Zonar. l. l.
(2) Pol. III, 84. Liv. XXII, 4, 5, 6. Zonar. VIII, 25.
(3) P. 44.

ex alio fonte hausta esse haud negemus. Sic animadvertendum, eum tres ferme horas pugnatum esse adiicere, de Flaminii caede uberius agere, nec terrae motum praetermittere, de quo statim dicam. Tempus illud trium horarum memoravit quoque Coelius (1): ex eo igitur vel e Fabio, qui mox a Livio citatur, cum hoc ductum esse puto, tum vero elegantissimam de consule occiso narrationem (2). Ille autem terrae motus, qui apud Polybium et Appianum frustra quaeritur, ut a multis (3), ita his verbis a Zonara descriptus est (4): „τοσοῦτος δ' ἐγένετο θόρυβος, καὶ τοιαύτη ταραχώδης ἔκ„πληξις κατέσχεν αὐτούς, ὡς μηδὲ τῶν σεισμῶν τῶν τότε „γενομένων αἰσθέσθαι, καὶ περ πολλὰ μὲν οἰκοδομήματα „κατεῤῥάγη, πολλὰ δὲ καὶ τῶν ὀρῶν τὰ μὲν διέσχε τὰ „δὲ καὶ συνέπεσεν, ὡς καὶ τὰς φάραγγας ἐμφράξαι, καὶ „ποταμοὶ δὲ τῆς ἀρχαίας ἐξόδου ἀποκλεισθέντες ἄλλην ἐτρά„ποντο. τοιοῦτοι μὲν σεισμοὶ τὴν Τυρσηνίδα κατέσχον, οὐ „μέντοι καὶ οἱ μαχόμενοι ἐν ἐννοίᾳ σφῶν ἐγένοντο." De

(1) Cic. *de Divin.* I, 35.

(2) De hac narratione dignus est qui legatur Arnold III, 110; praecipue de verbis, quae Ducarium proferentem inducit Livius: „In these last words we probably rather „read the unquenchable hatred of the Roman aristocracy „to the author of an agrarian law, than the genuine language „of the Gaul."

(3) Cic. *de Divin.* I, 35. Liv. c. 5. Flor. II, 6. Plut. *in Fabio* c. 3. Oros. IV, 15.

(4) Cap. 1. Horum verborum comparatio cum Livianis nos ferme cogit unum fontem cogitare, qui an Fabius esse possit nescio: constat certe, Zonaram e Dione, hunc e Fabio hausisse. Cf. Nieb. Ed. Isleri, I, 61, 66. Non tamen ausim cum Lachmanno statuere, e Cic. *de Div.* I, 24 et *de Nat. Deor.* II, 3 patere, haec e Coelio sumta esse, sed fortasse voluit ille *de Divin.* I, 35.

causa motus, a Floro excogitata, post Dukeri (1) operam nihil addere praestat.

A parte Romanorum in medio proelio 6,000 hominum, eruptione facta, evaserunt; non diu tamen fortitudine sua laetati sunt. Statim enim post certamen eos secutus est Maharbal, qui quum, teste Polybio (2), fidem dedisset, ipsis salvam vitam fore, secundum Livium (3) autem, se eos abire cum singulis vestimentis passurum, illi sese dediderunt. Sed paulo iniquior in patriae hostes hic scriptor esse videtur. Maharbalem enim adeo mentis compotem fuisse, ut sciret, quae promissa, ab ipso facta, servaret Hannibal, quae non, credere decet; porro, quum Romani probe noverint Poenorum morem non alios quam socios dimittendi, intellexerunt sine dubio, nemine monente, Maharbalem nihil ipsis nisi vitam polliceri posse. Quapropter puto, quum ambo haec e Fabio sumserint (4), Livium ea nonnihil mutasse, ut perfidiam Carthaginiensium augeret. Appianus, qui mira ratione rem illam multo amplius quam ipsum certamen exponit, praeterea a ceteris differt: nam de 10,000 hominum loquitur, eosque nudos ad Hannibalem deductos esse scribit, et libertatem iis Maharbalem pollicitum esse addit (5).

Pugnae exitus hic est: Livius se apud Fabium reperisse testatur, 15,000 Romanorum in acie caesa; 10,000 elapsa; 1500 hostes occisos esse. Cum Polybio eum congruere censeremus, nisi hic diserte diceret, illa 15,000

(1) In Not. ad l. l.
(2) III, 84.
(3) XXII, 6.
(4) Cf. Lachm. 44.
(5) VII, 10.

intra convallem cecidisse, et postea de multis aliis, in lacum compulsis, mentionem faceret (1). Hanc difficultatem non aliter expedire possumus, nisi ponentes, aut Graecum nimis auxisse numerum, aut Romanum illum nimis minuisse, huiusque numero in lacu mortuos addendos esse, qualem vero errorem Fabio obtrudere nolumus. Idem Polybius praeterea 15,000 captivorum Romanorum fuisse memorat, et de illis 10,000, quae sparsa fugâ in urbem redierunt, omnino silet: neutrum a veri specie abhorret. Zonaras numeris abstinet; Appianus 20,000 a parte Romanorum cecidisse narrat; eum vero in tali quaestione vix refutatione dignum esse, docet frequens eius errorum notatio (2). Reliquorum scriptorum, qui obiter totam rem tractarunt iacturamque militum adiecerunt, Valerius „In ea, ait, acie 15,000 „Romanorum caesa, 6,000 capta, 10,000 fugata sunt" (3). Eutropius: „Romanorum, inquit, 25,000 millia caesa „sunt, ceteri diffugerunt" (4); Orosius denique „25,000 „Romanorum, ait, in eo praelio caesa, 6,000 capta „referuntur. De exercitu vero Hannibalis 2,000 ceci„derunt" (5). Quae omnia quum ad illustrandam discrepantiam inter duos principes rerum scriptores parum faciant, Pighii iudicium de horum triumviro-

---

(1) Quod discrimen Lachmannum etiam fugit. Nieb. Ed. Isleri II, 91: „die übrigen wurden in den See geworfen „oder zu Gefangenen gemacht."

(2) Vid. supra v. c. 85, 86, 89. Non immerito von Vincke, p. 70, 71 hunc, dissentientibus Polybio et Livio, nullam mereri fidem opinatur.

(3) I, 6, 6.

(4) III, 9.

(5) IV, 15.

rum testimoniis afferre sufficiat: „Sed apud Orosium „et Eutropium errorem latere in numeris suspicor, „cum 25,000 Romanorum caesa fuisse scribant ambo. „Quemadmodum in Valerio Max. lib. I cap. 6 „20,000 fugata legimus, vitio item ex numerorum „notis orto" (1). Ultima res, haud valde credibilis, quam unus refert Appianus, est: Hannibalem solis Gallis praedam distribuisse (2).

Polybius et Livius suam finiunt narrationem in describendo terrore populi, cladis nuntio allato, inque laudanda Senatus constantia (3). Scriptor vero Romanus hîc more suo disertum se ostendit, illudque addit, quod omnino probat, eum, etsi nonnunquam infestum patriae hostibus animum prodentem, tamen non semper ea tacere. quae iis faveant. Nam „Hannibal, „ait, Flaminii quoque corpus, funeris causa, magna „cum cura inquisitum, non invenit." Pariter Valerius Maximus: „consulis obtruncati corpus ad funerandum „ab Hannibale quaesitum est: qui quantum in ipso „fuerat, Romanum sepelierat imperium" (4). Praeclarum utique ducis Poenorum humanitatis documentum!

Eo tempore Cn. Servilius Arimini provinciam suam tuitus erat. Quam primum autem Hannibalem in collegae viciniam pervenisse acceperat, C. Centenium cum 4,000 equitum ad hunc misit, quorum alteram partem obtruncavit, alteram cepit Maharbal, ab Han-

(1) Lib. IX, A. U. 536. De loco Valerii laudato cf. Not. in Edit. Torr., ubi tamen 10,000, non autem 20,000 Romanorum fugata esse invenio.

(2) C. l.

(3) Pol. III, 85. Liv. XXII, 7.

(4) I, 6, 6. Idem ap. Plut. *in Fabio* c. 3.

nibale iis obviam ire iussus (1). In hac quinque scriptorum narratione quaedam varie traduntur. De tribus erroribus, apud Appianum in ea obviis, supra diximus (2): nunc vero probabilem eorum fontem esse indicamus ea, quae Liv. XXV, 19 leguntur (3). Sed praeterea eundem scriptorem nonnulli erroris arguere conati sunt in loco pugnae, quem Zonaras bene monstrare videtur; verum hîc eum non errasse ostendit Schweighaeuserus (3). Nobis quidem constare videtur, Centenium illum, quem Livius propraetorem, Zonaras et Nepos praetorem vocant, legatum dicendum esse (4); neque enim Polybii obstat silentium. Tum etiam suspicor, Livium, Nepotem et Zonaram eum, qui mandatum dedit, sicuti fit, pro eo, qui id exsecutus est, posuisse; Polybiumque rem vere tradidisse, scribentem, Maharbalem equestre proelium illud conseruisse, cuius opera, uti saepius vidimus, Hannibal tunc in huiusmodi expeditionibus uti solebat. Haec quoque, quum et Hannibalem, et Maharbalem pugnae illi affuisse dicat, mire exaggerat Appianus.

Post hanc victoriam, exercitu per Umbriam ac Picenum ducto, Poeni iuxta mare Adriaticum, circiter ad flumen Trumentum, aliquamdiu castra habuerunt. Ibi Hannibal viros equosque morbo laborantes refecit, Afros Romano more armis instruxit, et nuntios Carthaginem

---

(1) Pol. III, 86. Liv. XXII, 8. Nep. *Hann.* 4. Appian VII, 10, 11. Zonar. VIII, 25.

(2) P. 84.

(3) Cf. Schweigh. ad Appian. VII, 9. V. Vincke, 253, N. 3.

(4) Cf. Drakenb., Fabri et Alschefski ad Liv. XXII, 8.

misit ad res gestas exponendas, quod nondum ei, quippe a mari remoto, facere licuerat. Haec Polybius, partimque Livius, Appianus, Zonaras referunt (1); quorum quidem Zonaras „('Αννίβας) πράξας δὲ ταῦτα ἐπὶ „τὴν Ῥώμην ἠπείγετο, καὶ μέχρι μὲν Ναρνιᾶς τήν τε γῆν „τέμνων καὶ τὰς πόλεις προσαγόμενος πλὴν Σπωλητίου „προῆλθε," κ. τ. λ. ope Livii illustrandus est, e quo discimus, Hannibalem Spoletium aggressum quidem, sed repulsum esse. Appianus autem Poenos a Deo quodam Româ abductos esse arbitratur; quasi Hannibal urbem illam saxis, muris, fossis valde munitam esse nescivisset; ignorasset etiam, copias suas quiete ad vires reficiendas indigere; neque sua cum sociis foedera nondum satis firmata esse novisset, ut paucis complectar, temere et sine ratione progressus esset (2).

Romani Quintum Fabium Maximum prodictatorem, M. Minucium Rufum magistrum equitum crearunt. Quatenus igitur temporum momenta sinebant, ad consilium ultimum, quo nonnisi in rebus arduis et trepidis utebantur, confugerunt. Livii, qui accuratissime hoc argumentum persecutus est, auctoritas hac in re maximi est facienda (3). Hic non solum nobis explicat, cur Fabius prodictator, non dictator appellandus sit (4), sed causam etiam indagat, cur Annales eum dictatorem fuisse perhibuerint; in quem errorem tantum non omnes inciderunt scriptores (5).

---

(1) III, 86, 87, 88. XXII, 9. VII, 12. VIII, 25.
(2) Cf. Arnold III, 114. Nieb. Ed. Zeiss II, 241, sqq.
(3) Lachm. 102. Nieb. Ed. Zeiss II, 245. V. Vincke 255.
(4) XXII, 8, 31.
(5) Pol. III, 87. Nepos *Hann.* 5. Sil. Ital. passim.

Prodictatori statim a senatu mandatum est, ut urbem firmaret, praesidia disponeret, pontesque fluminum rescinderet (1). Quid, quod Appianus refert, senes armatos, et in armorum penuria, spolia, templis affixa, detracta esse (2), atque a Livio libertini etiam in verba iurasse traduntur (3)? Hannibal, copiis equisque recreatis, per Praetutianum et Hadrianum agrum in Apuliam iter avertit, omnemque Dauniam vastavit (4). Discrimen hoc loco obtinet inter Polybium et Livium: alter Luceriam et Arpos ad Apuliam refert, alter non refert. Zonaras haec omisit. Quidquid rei est, constat ex utroque, Carthaginienses aliquamdiu in Apulia moratos esse, ibique primum castra Fabio opposita habuisse. Fabius autem, quo die magistratum iniverat, a diis orsus, Patribus persuasit, ut decemviros libros Sibyllinos adire iuberent, quibus inspectis variae obtinuerunt deorum placandorum rationes, quas Romanus tantum tradit (5). Tum a Senatu postulavit, ut, quod fas non erat, sibi in bello equo uti

---

Plut. *in Fabio* c. 3, 4. Appian. VII, 12. Dio Cass. Ed. Reim. *Fragm. Peiresc.* 48. Val. Max. III, 8, 2. Oros. IV, 15. Zon. VIII, 25. Pighius IX. A. U. 536 tempus creationis non distinxisse videtur a tempore, quo potestas Fabii et Minucii aequata est.

(1) Liv. XXII, 8. Zonar. VIII, 25.

(2) Appian. VII, 11.

(3) C. 11. De quo loco cf. omnino Zeiss. ad Nieb. II, 243, ubi pro libertinis male positi sunt captivi. Idem error invenitur in Ed. Isleri II, 94.

(4) Pol. III, 88. Liv. c. 9. Vid. de his Schweigh. et Drakenb. ad haec capita passim. Nepos. *Hann.* 4: „Hinc „in Apuliam pervenit."

(5) XXII, 9, 10.

liceret (1); simulque se legionibus duabus Servilianoque exercitu bellum gesturum esse dixit (2). Dissentit Polybius in legionum numero, quum, fortasse duas Servilianas iis adnumerans, quatuor novas conscripsisse Fabium scribat. Sed quum nimis obiter de tota hac historiae parte agat, quumque v. c. copias universe tantum circa Dauniorum fines iunctas esse indicet, potius hîc Livium sequimur, qui accuratissimus in his rebus tradendis est. Hic, ubi de rebus a Servilio per consulatum suum gestis, paucis quidem et nullius fere momenti, sed idcirco haud praetermittendis, mentionem fecit, eum Romam iter intendisse scribit (3). Idem ab Appiano refertur (4), nec Polybius, quamvis id haud memoraverit, ea prorsus silere voluisse videtur, quemadmodum ex eius capite 86 patet, ubi diserte consulem se cum collega coniungere in animo habuisse, et Centenium tantum praemisisse dicit.

Porro scriptor Romanus copiis diem ad conveniendum Tibur edictum esse, circa Ocriculum autem consulem prodictatori obviam venisse enarrat. Exercitu tradito, Servilius classi praefectus est et Ostiam abiit. Ipse Fabius statim ad hostem duxit, et haud procul Aecis (5) in conspectu hostium castra posuit (6). Polybius et Appianus (7), quum Romam missum esse consulem

(1) Plut. *in vita* c. 4.

(2) Liv. c. 11.

(3) C. 9.

(4) VII, 10.

(5) Cf. Schweigh. ad Pol. c. 88. *Aecis* Gron. apud Liv. quoque XXII, 12, pro *Arpis* scribendum esse censuit, sed cf. Alschefski ad h. l.

(6) Liv. c. 11, 12. Pol. c. 88.

(7) VII, 12.

memorent, a Livio differre non censendi sunt: res enim ipsa docet, eum Tibure per Romam Ostiam profectum esse.

CAPUT XIII.

CETERA, QUAE FABIO PRODICTATORE ET IN ITALIA ET IN HISPANIA ACCIDERUNT.

A. U. C. 535. A. C. N. 217.

Ubi Hannibal Fabium in conspectum suum venisse censebat, copias eduxit, atque aciem instruxit. Romani vero adversus eum non prodierunt. Nihil enim temere audere, sed suorum securitati quam maxime consulere secum constituerat eorum dux, nulla consiliorum aut obtrectationis Minucii ratione habita. Illius rationes cunctandi multae apud Polybium (1) et Livium (2) enumerantur, aliamque adiicit Zonaras his verbis: „ὁ φάβιος — ὅσῳ μᾶλλον τὴν χώραν κακώσειαν, „τοσούτῳ θᾶσσον ἀπορῆσαι τροφῆς αὐτοὺς ἤλπισε" (3). Paulo aliter Appianus: „πολιορκεῖν δ' οὐδένα εἴα, πα„ραφυλάσσων καὶ ἐπικείμενος" (4). De eius cunctatione insuper loquuntur Plutarchus et scriptores ceteri, quorum multi simul haud obscure indicant, se Romam servatam Fabio deberi existimare, v. c. Aurelius Victor: „(Fabius) Hannibalem mora fregit" (5).

(1) III, 89, 90.
(2) XXII, 12.
(3) VIII, 25.
(4) VII, 12.
(5) *De Vir. Illust.* 43.

Ceterum falluntur Nepos (1) et Valerius Maximus (2), quod Fabii imperium non ante, sed post pugnam Cannensem ponunt. Quod ad fontem attinet, unde plurima, quae de Fabio legimus, fluxerint, hunc Fabium Pictorem, prodictatoris propinquum, esse statuendum est (3).

Hannibal, frustra lacessito Fabio, Apenninum superavit et in Samnium transiit, ibique agros vastavit, et urbem quandam munitam cepit. Secutus est prodictator; verum hoc perpetuo pugnam detrectante, prudenter ille in Campaniam agmen ducere decrevit. Similiter haec a duobus praecipuis scriptoribus narrantur (4): praeterquam quod nomen urbis captae apud alterum Οὐενουσία, apud alterum Telesia sit, quod postremum probandum esse, Schweighaeusero et Drakenborchio facile largior (5); nam in tota hac narratione Livius accuratior est, et agri Beneventani mentio, apud utrumque scriptorem obvia, nos cogit urbem Telesiam cogitare, cuius situs in Samnio omni dubio caret. In Campaniam tendentes, quod iter tres equites Campanos Poeno commendasse Livius refert, duce usi sunt, qui, eodem et Plutarcho auctoribus, eos ab itinere avertit, in errorem quum lapsus esset prava Hannibalis prolatione Latinorum nominum. Haec sane

(1) *Hann.* 5. Haec posterioribus temporibus transposita esse vix opiner cum doct. Hisely, in *Disq. Crit. de font. et auctorit. Nepotis* p. 134.

(2) III, 8, 2.

(3) Heeren, *de font. et auctorit. vitar. parallel. Plut.* in *Comm. Gott. rec.* IV, 71, 83.

(4) Pol. III, 90, 91. Liv. XXII, 13.

(5) Cf. uterque ad l. l.

verisimilia videntur ob literarum similitudinem in vocibus: „*Casinum*" et „*Casilinum*" (1). Ipsum iter Zonaras quoque, loco minus apto, tradit (2).

Tum Poeni castra ad Vulturnum posuerunt. Fabius, propositi tenax, eodem profectus est, et in hostium vicinia mansit. Sed Carthaginiensium dux, larga praeda potitus, hanc ut in tuto collocaret, eadem, qua intraverat, via redire in animo habuit (3). Aliena a ceteris scriptoribus, neque idcirco tamen incredibilia, scribit Zonaras: „Ὁ δ' Ἀννίβας, ἐπεὶ πρὸς χειμῶνα ἐγίνετο, „καὶ οὔτε κατὰ χώραν χειμάσαι σπάνει τῶν ἀναγκαίων ἠδύνατο, „καὶ πολλαχῇ πειράσας ἐξιέναι τῆς Καμπανίας κεκώλυτο" (4), κ. τ. λ. Iam tenuit Romanus, quam optaverat, occasionem. Statim paravit insidias, et milites hortatus est, ut opportunitate strenue uterentur. Huc pertinent Aurelii Victoris verba: „(Fabius) Hannibalem in agro „Falerno inclusit" (5). In loci, quo hae structae sunt, commemoratione Polybio praestat Livius; qui etiam famam de L. Mancini temeritate deque leviori, ab Hannibale inita, pugna addit (6). Consensio inter illos est et Plutarchum atque Zonaram de modo, quo Hannibal, qui se hîc suis artibus peti senserat, hostes fefellit (7), nisi quod ex iis unus Zonaras omnes captivos Romanos antea a Carthaginiensibus interfectos esse scribit; quae

---

(1) Cf. Drakenb. ad Liv. Nieb. Ed. Zeiss. II, 244.
(2) VIII, 25.
(3) Pol. III, 92. Liv. XXII, 14. Plut. *in Fabio* c. 6.
(4) VIII, 26.
(5) *De Vir. Illust.* c. 43.
(6) XXII, 15, 16. Commemorat quoque hanc pugnam Plut. *in Fabio* c. 7.
(7) Pol. c. 93, 94. Liv. c. 16, 17, 18. Zonar. c. 26.

ratio, etsi non plane crudelitate careat, tamen ob necessitatem excusanda est. Haec omnia occurrunt quoque apud Appianum (1), qui vero ea plane alieno loco memorans, misere tempora turbat. Idem de Nepote valet. Finis insidiarum fuit parvum proelium inter manum Romanorum ac Hispanorum, quo peracto Poeni ex agro Falerno egressi sunt. Ut porro cognoscamus, quomodo deinde vagatus sit Hannibal, atque eius vestigia sit persecutus Fabius, iterum adeundus est scriptor Romanus, qui capite 18 haec absolvit. Verba eius ibi obvia „Hannibal per Samnium Romam se „petere simulans," melius intelliguntur, addita apud Zonaram causa: „ὥστε τὸν 'Αννίβαν ἀπορήσαντα τὸ μεν „πρῶτον ἐπὶ τὴν 'Ρώμην ὁρμῆσαι" (2). Tandem Poenus ad Geronium (3), Apuliae urbem, pervenit; prodictator, castris positis in agro Larinati, sacrorum causa Romam abiit, et magistrum equitum valde hortatus est, ut plus consilio, quam fortunae confideret (4).

De rebus, hoc tempore in Hispania gestis, Polybius et Livius minus inter se dissentiunt, quam nonnulla varie narrant. Partim eadem, quae apud eos exstant, a Zonara referuntur; ceterum neque Appianus, nec reliquorum ulli in censum veniunt. Res autem, a Polybio traditae, sunt ferme hae: Pugna navalis inter Cn. Scipionem et Hasdrubalem prope Iberi ostia, P. Scipionis in Hispaniam adventus, et obsidum,

---

(1) VII, 14, 15.

(2) L. l.

(3) De nomine cf. Drak. et Alschefski ad Liv. c. 18. Schweigh. ad Pol. c. 100 et ad Appian. c. 15.

(4) Liv. c. 18. Pol. c. 100. Appian. c. 15. Zonar. c. 26.

Carthaginiensibus ante traditorum, proditio, ab Abilyce (1) facta (2). Similia habet Livius (3), nonnulla tamen amplificans (4), alia addens (5), quaedam tacens (6), tandem pauca levioris momenti, v. c. nomina, aliter enuntians, quemadmodum principio capitis 19, ubi praefectum classis Himilconem, non Hamilcarem vocat; neque id immerito, ut videtur (7).

Sed redeamus ad res Italas. Fabio profecto, Hannibal Geronium cepit, duroque fato afflixit. Quibus auditis, magister equitum castra movit, eaque circa Calenam posuit. Hannibal, partem copiarum quum frumentatum emisisset, ceteras in castris retinuit. Proelium tumultuarium gestum est satis acre de tumulo quodam, ex quo Romani superiores decesserunt. Minucius vero equitatum et leviter armatos in pabulatores Poenorum immisit, aciemque instruxit. Tandem res Carthaginiensium ducis, militum penuria aliquamdiu pressi, Hasdrubalis adventu meliore loco esse coeperunt. Minucius se recepit, et castra Poenorum, qui magis ad Geronium accesserant, occupavit. Haec Polybius (8),

---

(1) Qui apud Livium *Abelux*, apud Zonaram IX, 1. Αβιλος vocatur. Cf. Alschefski.

(2) Pol. III, 95—100.

(3) XXII, 19—23.

(4) Cap. 19 coll. cum. Pol. c. 95. Cap. 31 coll. cum Pol. c. 96 fin.

(5) Cap. 20 fin. et 21.

(6) V. c. ea, quae Polybius c. 96 de nova Poenorum classe, c. 97 de causa, cur Romani Publium Scipionem in Hispaniam miserint, scribit.

(7) Schweigh. ad Pol. c. 95. Drakenb. ad. Liv. c. 19. Cf. porro de his omnibus Lachm. 44.

(8) III, 100—103.

unde sua, etsi pauciora, duxit Livius, qui etiam secundum nonnullos iusta acie et collatis signis dimicatum esse refert, horumque subiungit descriptionem (1). Prorsus autem fallitur Lachmann, ubi in hos Polybium referendum esse putat (2): nec minus, quum in superiori narratione Livium a duce Graeco plurimum dissentire dicat. Solum, quod animadvertimus, discrimen maior est brevitas apud Romanum, huiusque silentium de Hasdrubalis opportuno adventu. Uti autem prior descriptio apud Plutarchum (3), sic posterior quoque apud Appianum (4) et Zonaram (5) occurrit; quapropter Fabium Pictorem procul dubio eius fontem habemus (6).

Rei gestae nuntio splendidiore, quam veriore Romam allato, cives omnes Fabium accusare, Minucium contra laudibus efferre coeperunt. Satis constat, invidiam prodictatoris valde auctam esse Poeni dolo eius agro parcendi, et captivorum permutatione, ab eodem suo arbitrio decreta. Utramque odii crescentis causam commemorant Livius (7), Plutarchus (8), Dio Cassius (9); priorem Zonaras (10); posteriorem Val. Maxi-

---

(1) XXII, 23, 24.

(2) P. 45. Quae idem de Livii fonte hac in re disserit, non maioris momenti videntur.

(3) *In Fabio* c. 8.

(4) VII, 12.

(5) VIII, 26.

(6) Nieb. Ed. Isleri 61.

(7) C. 23.

(8) C. 7.

(9) Dionis Cass. *fragm. Peiresc.* 48.

(10) L. 1.

mus tantum laudat (1). Utriusque narrationis fons sine dubio est Fabius Pictor (2). Merito a Valerio multiplex Fabii laus additur, et aliis verbis, et hisce: „Se enim patrimonii, quam patriam fidei, inopem esse „maluit: eo quidem maiore commendatione, quod „proni studii certius indicium est supra vires niti, „quam viribus ex facili uti. Alter enim quod potest „praestat: alter etiam plus quam potest." Sed prorsus mihi reiicienda videtur sententia Dionis, causam haud vastati praedii sive e Poeni dolo, sive ex eius erga Fabium benevolentia repetendam esse censentis. Qua de benevolentia altum est apud cunctos scriptores silentium.

Hae igitur duae res, iunctae Minucii nuntio de re, a se gesta, effecerunt, ut magister equitum prodictatori aequaretur imperio. Modum, quo inauditum Romae negotium obtinuerit, perspicue tradunt Livius (3) et Plutarchus (4), ex quorum consensu probabiliter colligitur, utrique Fabium Pictorem hîc fontem fuisse. Est autem animadvertendum, mutationem hanc plebiscito, non Senatus consulto deberi, sicuti e duobus scriptoribus, modo laudatis, insuper e Polybio (5), Dione Cassio (6) et Zonara (7) patet. Non igitur

---

(1) IV, 8, 1; III, 8, 2.
(2) Cf. Heeren *de font. Plut.* 83. Lachm. 44.
(3) XXII, 25, 26, 27.
(4) *In Fabio* C. 9.
(5) III, 103.
(6) *Fragm. Peiresc.* 48.
(7) VIII, 26.

audiendi sunt Appianus (1) et Val. Maximus (2), Senatui decretum illud tribuentes; quamquam eos Niebuhrius sequi videtur (3).

Quod reliquum est, recte utique animadvertitur, a nullo antiquo scriptore Minucium dictatoris nomine ornari; quumque plurimi illorum loquantur de aequando magistri equitum et dictatoris iure, concludi posse, eum numquam hoc nomen gessisse (4). Iisdem quoque, quos modo secuti sumus, duumviris fidem habemus in ceteris: Minucium enixe operam dedisse, ut statueretur, quemadmodum imperio aequato uterentur; Fabium autem voluisse, ut, consulum morem secuti, legiones, equites, auxilia dividerent, itaque obtinuisse. Similiter scribunt Dio Cassius et Zonaras: paulo aliter res a Polybio commemoratur, qui tamen eundem eventum obtinuisse docet. Appianus nil aliud tradit quam ipsam copiarum divisionem (5).

Incredibiliter gavisus est Hannibal, auditis iis, quae apud hostem agebantur. Rei gerendae opportunitati inhiabat; neque ea diu abfuit. Minucium enim, temeritate sua in proelium adductum, neque insidias a parte hostium suspicatum, fugavit, quin ad internecionem eius copias delevisset, nisi suas Fabius ad auxilium in aciem eduxisset. Tum suae Minucium poenituit iactationis, qui plebiscitum facto abrogavit, legiones Fabio

(1) VII, 12.

(2) III, 8, 2. Idem invenimus ap Nep. *Hann.* 5 et Aur. Vict. *de Vir. Illust.* c. 43.

(3) Ed. Zeiss. II, 46. Cf. praeterea Drakenb. ad Liv. c. 26.

(4) Cf. Zeiss in not. ad Nieb. II, 245.

(5) VII, 13.

restituit, utque in posterum rursus magisterium equitum tenere liceret petivit. Atque sic factum est. In his tradendis consentiunt Livius (1), Polybius (2), Plutarchus (3), Appianus (4), Zonaras (5), partim etiam Nepos (6). Huc facit locus Diodori Siculi (7): „Ὅτι τοῦ Μινυκίου „ἡττηθέντος ὑπὸ τοῦ Ἀννίβου, ἐκ τῶν ἀποτελεσμάτων ὑπὸ „πάντων ἐκρίθη, Μινύκιος μὲν ἀφροσύνῃ καὶ ἀπειρίᾳ τοῖς „ὅλοις ἐπταικώς· Φάβιος δὲ ἀγχινοίᾳ καὶ ἀρετῇ στρατηγικῇ „διὰ παντὸς προνενοημένος τῆς ἀσφαλείας". Mirari autem subit, Niebuhrium in hac pugna narranda mentionem facere de Samnitum auxiliis (8), quippe quae non hîc inopinato apparuerunt, sed in subito illo, de quo supra egimus, adfuerunt proelio (9).

CAPUT XIV.

DE PUGNA CANNENSI.

A. U. C. 635. A. C. N. 216.

Semestri imperio prodictatoris exacto, consules Atilius et Servilius Fabii artibus, quod reliquum anni erat,

---

(1) XXII, 28, 29, 30.
(2) III, 104, 105.
(3) C. 11, 12, 13.
(4) VII, 13.
(5) VIII, 26.
(6) *Hann.* 5.
(7) Diod. Sic. Ed. Wessel. *Excerpt. ex libro* XXVI *de virtutibus et vitiis* II, 568.
(8) Nieb. Ed. Isleri II, 96.
(9) P. 101.

bellum gesserunt. Mox iis prorogatum in annum est imperium; creatique, habitis per Interregem Comitiis, Consules sunt C. Terentius Varro et L. Aemilius Paullus II. Quae quidem, indicata a Polybio, accuratius explicat Livius (1). Praeterea copiarum numerus sic auctus est, ut peditum 80,000, equitum 7,000 in castris adfuisse censenda sint (2), quamvis minorem numerum afferat Appianus (3). Haec exercitus incrementa ceterique belli apparatus satis ostendunt Romanorum animum ad pugnam propensum. Hunc populi animum manifesto in causas pugnae Cannensis refert Appianus, cuius fons fuit Fabius Pictor (4), idemque satis indicant Polybius et Livius. Quapropter hîc non possumus non plurimi facere Appiani et Zonarae, eodem fonte usi, auctoritatem (5). Priusquam autem in rem praesentem veniamus, omnino monendum est, huius capitis argumentum, longe gravissimum in historiae Romanae enarratione, in hac disputatione prioribus quibusdam capitibus disquisitionum momento multum cedere. Adeo hîc minor scriptorum discrepantia, paucioraque dubio obnoxia sunt.

Novi consules quum in castra advenissent, mox, tumultuario proelio exorto, secunda gavisi sunt fortuna. Iacturam postquam Hannibal frustra insidiis paratis resarcire conatus est, et se propter victus inopiam atque militum, stipendium poscentium, fremitum ibi ma-

(1) Pol. III, 106. Liv. XXII, 32, 34, 35.

(2) Pol. III, 107. Liv. XXII, 36. Cf. Schweigh. ad Pol. l. l. et Nieb. Ed. Isleri II, 100.

(3) VII, 17.

(4) Nieb. Ed. Isleri II, 98.

(5) Pariter iudicat Niebuhr l. l.

nere non posse intellexit, castra movit eaque prope Cannas in Apulia posuit. Eum secuti sunt consules. Proelium illud solus tradit Livius (1), quocum ceteri in eo congruunt, quod Hannibalem praecessisse, Romanosque eius vestigia secutos esse referunt (2). Addit Polybius, Hannibalem arcem Cannarum cepisse, commeatus plenam; et sic ansam dedisse consilio pugnandi, a Senatu Romanorum tum inito (3), exsequendo. Haec aeque ac universi populi mens bellicosa, quam Appianum attingere diximus, Terentii Varronis quodammodo excusant temeritatem. Hannibal consedit in ripa occidentali Aufidi, Romani paulo ad septentrionem versus in utraque huius fluvii ripa castra habuerunt, sex millium intervallo ab hoste. In narrandis iis, quae ante pugnam acciderunt, hoc discrimen inter tres scriptores, qui uberrime de ea egerunt, animadvertitur quod, quum Polybius leve proelium memoret, ex quo Romani victores decesserint (4), idemque gestum esse ex Appiani verbis eruas (5), Livius plane de eo silet. Hannibal, postquam loco sibi opportuno, quippe ad proelium equestre peridoneo, frustra pugnandi copiam hostibus fecerat, hos ut excitaret, Numidas in aquatores Romanos immisit, qui ad ipsum usque castrorum Romanorum vallum procurrerunt. Sola causa, ne extemplo temerarios hosce repellerent atque aciem dirigerent, militibus fuit, quod penes Paullum hoc die

---

(1) C. 41, 42, 43.
(2) Pol. III, 107, 110. Appian. VII, 17. Zonar. IX, 1.
(3) C. 107.
(4) C. 110.
(5) C. 18.

imperium erat, qui, bene intelligens, locorum naturam, quippe equitatui aptam, Poeno favere, a proelio abstinuit. Haec Polybius et Livius ita tradunt, ut addant, Varronem, simulac postridie lux oriens ei imperium praebuerat, copias eduxisse atque aciem instruxisse (1). Appianus autem post proelium, modo allatum, ex impetu in Romanos, frumentandi aut lignandi gratia egressos, ortum, Terentium primo aciem instruxisse scribit; Poeno autem pugnam detrectante, postridie utrimque exercitus die insequente in campum descendisse (2). Appiano assentiens Zonaras de copiis, a Varrone eductis, causam tamen proelii non statim commissi dicit exiguam militum Romanorum alacritatem; eosque non tantum concitatos esse adiicit impetu in aquatores, quantum eo, quod cadavera caesorum a Carthaginiensibus in aquam profluentem iacerentur; tandem Hannibalem exemplum aciei instruendae dedisse (3).

Aciei ordinem atque ducum in ea locum e Polybio sumsit Livius, nisi quod Maharbali (4), non Hannoni (5), cornu dextrum tribuit, et Polybii errorem, qui consulibus prioris anni Atilio et Servilio mediam aciem tuendam datam esse refert, hac uni Servilio tribuenda corrigit (6). Addit enim ille, Atilium, aetatem excu-

---

(1) III, 112, 113. XXII, 45.
(2) C. 19.
(3) IX, 1.
(4) C. 46.
(5) Pol. III, 114.
(6) Qua in re Polybium falli vidit, atque ex Fastis, e Livio XXIII, 23 et e Valerio Max. II, 9, 8 demonstravit Perizonius. Vid. Schweigh. ad Pol. III, 114.

santem, Romam remissum esse. De acie consentit, de ducum loco multum dissentit Appianus. Romanorum enim dextro cornu Terentium, sinistro Servilium, mediae aciei Aemilium, Carthaginiensium dextro Magonem, sinistro Hannonem, mediae aciei Hannibalem praefuisse, Maharbalemque cum bis mille equitibus selectis discurrisse affirmat (1). E copiis Romanorum 10,000 in castris manserunt (2); Carthaginiensium fuerunt 40,000 peditum, equitum 8,000 (3). De ipsius pugnae descriptione quum discrimen nullum notatu dignum adsit, haec solum monenda. Magnam ad cladem parandam vim adscribunt Appianus et Zonaras et insidiis, ab Hannibale in monte locatis, et Celtiberorum manui, specie transfugarum a Romanis exceptae (4), et vero vento, Romanis noxio (5). Quid, quod in horum damnum a Poenis, solum arenosum aratro proscindentibus, pulverem auctum esse scribit Zonaras? Potius Polybii et Livii narrationem amplectimur, a mirabilibus eiusmodi alienam, eoque redeuntem, ut, pugna initio levibus armis, deinde a ceteris militibus commissa, Romani prope ad internecionem caederentur (6).

Nam exitus pugnae fuit hic: 45,000 peditum, 2700 equitum caesa sunt: 3,000 peditum, equites 300 capti, in his consulares Servilius atque Minucius (7), et consul

(1) VII, 19, 20.
(2) Pol. III, 117.
(3) Pol. III, 114. Liv. XXII, 46.
(4) Haec fere similiter tradit Liv. XXII, 48. Vid. etiam Flor. II, 6.
(5) Appian. VII, 20, sqq. Zonar. IX, 1.
(6) III, 115, sqq. XXII, 47, sqq.
(7) Pro quo Polybius probabiliter posuit Atilium. Vid. Schweigh. ad III, 114.

Aemilius periit. Livio enim et Appiano fere hac in re consentientibus potius hîc fidem habemus quam Polybio, qui contra morem suum omnium maximum numerum affert (1). Numerus autem caesorum Carthaginiensium maior apud Livium quam apud Polybium occurrit (2). E reliquis scriptoribus Florus et Eutropius alium caesorum Romanorum numerum afferunt: ille 40,000 (3); hic 40,000 peditum et 3500 equitum (4); quocum facit Orosius (5). Haec igitur discrepantia nostram confirmat sententiam, Livii auctoritatem hîc potiorem habendam esse videri. Praeter Varronem consulem et 70 equites, perpauci salvi evaserunt; e 10,000 militum quoque, qui Aemilii iussu in castris manserant, 2,000 caesa, plurimi reliquorum capti sunt (6).

Ceterum, proelii fortunam excepit rerum status, utriusque populi exspectationi consentaneus. Carthaginienses enim ora Italiae maritima potiti sunt; Romani vero maximo pavore et tumultu agitabantur. Non autem desperatione rerum fracti sunt; mox enim eos rebus quam fortissime consulere, indeque occasionem nancisci cernimus laetiora tempora sperandi.

Sed de his quid scriptorum fide constet, nostrum non est investigare, fine harum *Quaestionum* in Cannensi

---

(1) III, 117.
(2) Pol. l. l. Liv. c. 52.
(3) II, 6.
(4) III, 10.
(5) IV, 16.
(6) Pol. III, 117. Liv. XXII, 52, sqq. Appian. VII, 26.

pugna constituto. Ego autem a lectoribus decedens, *et* multum abesse fateor, ut mihimet ipsi satisfecerim, *et* ut aliis semper persuaserim, optandum potius quam sperandum mihi esse intelligo.



THESES.

I.

Hannibalem, novem annos natum, cum patre in Hispaniam abiisse, sed postea Carthaginem rediisse, credo.

II.

Liviani Lib. XXI Cap. 31 *multos continet eosque graves errores.*

III.

Numerus dierum, ab Hannibale superandis Alpibus insumptorum, perperam et a Polybio, et a Livio traditur.

IV.

Hannibalem per Alpem Graiam exercitum duxisse Polybius, me iudice, recte indicavit.

V.

Locum primae inter Romanos et Carthaginienses in Italia pugnae optime significavit Florus II, 6 *his verbis: „Ac primi quidem impetus turbo inter Padum et „Ticinum valido statim fragore detonuit."*

VI.

E duabus viis, quae e Gallia in Etruriam patebant, Hannibalem occidentalem praetulisse arbitror.

VII.

In Soph. Ant. *v.* 40 *maxime mihi placet lectio* „λύουσ' ἂν ἢ 'φάπτουσα".

VIII.

In Epist. ad Pis. 10 *servanda est vulgata „quidlibet audendi," non, quod Vir. Clar. Peerlkamp maluit „scilicet audendi" legendum.*

IX.

Locus vexatissimus in Somn. Scip. *VI*, 12 (*Ed. Maii*) „*ne me e sommo excitetis, et pax sit rebus*" *commodissime sanatur, si legimus* „*et fax sit rebus.*" — *Quod in pluribus Codd. est* „*et parum rebus*" *inde originem ceperit, quod quum in margine ad* pax sit *notatum fuisset ab aliquo* parum scite *vel* perspicue, *prior vox in textum recepta sit.*

X.

Praeclare Vir Clar. Peerlkamp Virg. Aen. *VI*, 743 *legendum esse censet:* „*Quisque suum patimur* „*Manes.*"

XI.

In Sejani casu, qui describitur a Juvenal. X, 57, *augetur sententiarum vis, si* mergit *intransitive accipitur.*

XII.

Assentior Hermanno Lehrb. der Griechischen Antiq., *II*, 199: „*Dass die delphischen ἀριστεῖς oder Pri-* „*maten als solche mit dem Orakel nichts zu schaffen* „*hatten, hat Limburg-Brouwer* Hist. de la Civil. des „Grecs, *VI*, 50 *gegen Hüllmann* Würdigung des „Delphischen Orakels *S.* 19 *fgg. richtig bemerkt*".

XIII.

Recte Osannus, egregiam Madvigii secutus disputationem de loco Ciceronis in libro IV de re publica ad ordinis equestris instituta spectante, (Opusc. Acad. I, 72) *ad hoc fragmentum minime cum Niebuhrio referenda esse* sex suffragia *iudicavit, et sublata multorum editorum interpunctione inter* sunt *et* etiam, *sic scripsit:* „equitatus, in quo suffragia sunt etiam senatus."

XIV.

Comitiis Calatis cives rectius auditores et testes quam suffragia ferentes interfuisse censentur.

XV.

Quod de Huschkii opere Die Verfassung des Königs Servius Tullius *dicit Marquardt* Hist. Equitum Rom. pag. 5. „*Quo maior est in eo viro et doctrinae copia* „*et ingenii sagacitas, eo magis nonnunquam in illa* „*quaestione Socraticam illam nesciendi artem difficilli-* „*mam desideramus" id haud scio an recte in multa transferatur, quae nostra aetate de priscis Romanorum rebus prodierunt, scripta.*

XVI.

Tempus et spatium non tantum formae sunt cognoscendi subiectivae, sed etiam rerum cognoscendarum conditiones obiectivae.

XVII.

Quod alio sensu a posteriori *probatur, id idem alio sensu probari potest* a priori; *stricte tamen distinguendum est inter id, quod* a priori esse *et id, quod* a posteriori esse *in Philosophia dicitur.*

XVIII.

Varia sunt Cognitionis genera, suo quodque pretio rite aestimanda.

XIX.

Notione Empirica quaedam Universalitas quidem continetur; notio autem eiusmodi non ipsa est universalis.

XX.

Homo vere gaudet libertate.

XXI.

Belgarum literaturam, proprie sic dictam, sub finem demum seculi XIII ortam esse contendo.

XXII.

Linguae nostrae multo maior est quam Francicae verba composita proferendi facultas.

XXIII.

Comparantibus nobis poetam clarissimum Vondelium cum Anglorum poeta Shakespeario, hoc ille in nonnullis superior esse videtur.

XXIV.

Immerito Mariae, Burgundiae duci, ius patri succedendi denegatur.



ERRATA.



Pag. 19 Not. 8 pro *Hannibalis* legatur *Hannibalis itinere*.
„ 29 Not. 1 „ *commentairs* „ *commentaire*.
„ 31 vs. 11 „ *'Αλλοβρίγων ;* „ *'Αλλοβρίγων·* —
„ 37 Not. 1 „ *errar* „ *errari*.
„ 41 „ 2 „ *πεδία ;* „ *πεδία·* —
„ 41 „ 5 „ *ἔθνος ;* „ *ἔθνος·* —
„ 48 „ 11, sqq. pro *nec*, rel. „ *neque id, quum utrumque Polybianae sententiae adversetur*.
„ 48 vs. 20 pro *id* legatur *Livius id*.
„ 48 „ 25 „ *indoles* „ *conditio*.
„ 53 „ 22 „ *onfirmans* „ *confirmans*.
„ 80 „ 20 „ *ἐμβολὴν ;* „ *ἐμβολὴν·* —
„ 80 „ 24 „ (6); „ (6)· —
„ 81 „ 19 „ *region* „ *regionis*.







